COLONIIS VETERUM.

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI,

ANNAEI YPEIJ,

Theol. Doct. ejusdemque Professoris Ordinarii,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS RITE AC LEGITIME CAPESSENDO,

Publicae disceptationi offert

RUDOLPHUS HELPRICHUS EYSSONIUS WICHERS,
AMSTELAEDAMENSIS.

in Choro Templi Academici.

A. d. XXX Aprilis MDCCCXXV. Hora XI.



GRONINGAE, *Apud*
J. OOMKENS,
Academiae Typographum.

DISSERTATIO HISTORICO-LITERARIA INAUGURALIS,

DE

COLONIIS VETERUM.

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI,

ANNAEI YPEIJ,

Theol. Doct. eiusdemque Professoris Ordinarii,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS RITE AC LEGITIME CAPESSENDO,

Publicae disceptationi offert

RUDOLPHUS HELPRICHUS EYSSONIUS WICHERS,

AMSTELAEDAMENSIS.

in Choro Templi Academici.

A. d. XXX Aprilis MDCCCXXV. Hora XI.



GRONINGAE, Apud

J. OOMKENS,

Academiae Typographum.

Τὸ δὲ ἄρχειν ἐκ παντὸς τῶν ἀποικιῶν τὰς μητροπόλεις, ὡς ἀναγκαῖον τι φύσεως νόμιμον, οὔτε ἀληθὲς οὔτε δίκαιον ἠξιοῦτο ὑφ᾽ ἡμῶν.

TULLUS HOSTILIUS apud DIONYSIUM HAL.

VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,

HENRICO LUDOLFO WICHERS,

Icto.

ORDINIS EQUESTRIS LEONIS BELGICI DECURIONI, CONSILIO REGIS ADSCRIPTO, COLLEGII CURATORUM UNIVERSITATIS, QUAE GRONINGAE EST, PRAESIDI, UNI EX MODERATORIBUS SOCIETATIS DOCTRINARUM HOLLANDICAE, QUAE HARLEMI EST, ETC. ETC.

et

ALBERTO GUILIELMO HOETH,

Icto.

VARIIS OLIM ET SUMMIS REIP. MUNERIBUS FUNCTO, NUNC PROCURATORI CRIMINALI IN REGIONE GRONINGANA;

COGNATIS OPTIMIS,

Hasce dissertationes
omni debita reverentia
D. D. D.
AUCTOR.

PRAEFATIO.



Septem circiter anni ſunt, quod in hac Academia Literis Humanioribus et Iurisprudentiae operam dare coepi. Tempus tandem esſe videbatur, Academicas lectiones relinquendi, conſcribendique eo conſilio disſertationes, quibus, quos progresſus, quantuloscumque tandem, in utroque hoc doctrinarum genere fecisſem, probarem. Cuius autem generis materiem ſumerem, qua exponenda, tum in Literis, tum in Iurisprudentia, ſummos capesſerem honores, admodum me ſollicitum esſe, ſtudiorum quidem, quem ſecutus eram, curſus non ſinebat. Nam ab initio iam adeo in deliciis mihi historiae erat ſtudium, ut cum eo cetera negotia intime aut coniungerem, aut, ſi haec ſinebant, ab iis aliquot horas decerperem, et illi ſtudio tribuerem; quae horae

mi-

mihi iucundisſimae ſemper fuerunt et voluptatis plenae. In primis autem quum ad Iurisprudentiam accesſisſem, intelligebam, vere apud Ciceronem dixisſe Piſonem: esſe utilitatem in historia, non modo voluptatem; et Lucianum, ubi aït, ὅσοι δέ οἴονται καλῶς διαιρεῖν εἰς δύο τὴν ἱστορίαν, εἰς τὸ τερπνὸν καὶ χρήσιμον, ... ὁρᾷς, ὅσον τἀληθοῦς ἡμαρτήκασι; πρῶτον μὲν, κιβδήλῳ τῃ διαιρέσει χρώμενοι· ἓν γὰρ ἔργον ἱϛορίας καὶ τέλος τὸ χρήσιμον, ὅπερ ἐκ τοῦ ἀληθοῦς μόνον συνάγεται· τὸ τερπνὸν δὲ ἄμεινον μὲν, εἰ καὶ αὐτὸ παρακολουθήσειεν, ὥσπερ καὶ κάλλος ἀθλητῇ· *minus vero recte Dionyſium, qui, omisſa utilitate, primum officium historiarum ſcriptoris requiſiverit, ut materiem eligat pulcram, quae legentium animos voluptate afficiat et perfundat, atque ideo Thucydidem deprehenderit, quod bellum non honestum, et Graecis infaustum deſcripſerit, quod ſilentio premi atque oblivioni tradi ſatius fuisſet. Serpit enim, nescio quo modo, historia per omnes artes, usque adeo quidem, ut quaevis doctrina, quo magis eius fulcro ſit fundata atque fulcita, eiusve luce collustrata, eo firmior, certior, clarior habenda ſit. Ut mirum non ſit, ipſos veteres illius cognitionem dignam iudicasſe, cui prae ceteris ſtuderetur, ab eaque re illi nomen dedisſe. Atque haud ſcio, an de ulla alia doctrina magis, quam de Iurisprudentia haec*

va-

valeant, quae arctisſimo cum historia coniuncta est vinculo. Quid enim ſine historia est iurisprudentia? Quid iuvat, ut de uno Romano iure dicam, novisſe, legem Casſiam, Liciniam, Flaminiam, alias agrarias latas fuisſe, niſi ſcias, quid ſingulis earum anſam dederit? Quid, leges duodecim tabularum memoriter decantare posſe, ſi earum originem, Romanorum, qui illo tempore fuerint, mores, conſuetudines, imperii conſtitutionem, nescias? Quid, omne ius Romanum, ſingularum eius legum verba in numerato habere, niſi ſcias, quo modo a parvis exortum initiis, tandem exactum fuerit monumentum illud, quod aere perennius ſui nominis Iustinianus reliquit; niſi ſcias, quae rerum ratio liberae reipublicae, quae Imperatorum tempore fuerit? Quid iuvat novisſe, post reges eiectos plebiscita inſtituta esſe, et deinde legum vim accepisſe; quid a Sulla, quid a Tiberio, quid ab Hadriano, quid ab aliis in iure fuerit aut mutatum aut renovatum; niſi historia doceat, quid aut mores, aut temporum rerumque ratio, quid ſingulorum ſtudia, quid Imperatorum ingenia atque indoles ad ea contulerint? Immo vero Iurisprudentia ſine historia nullá est; ſi quidem legum mentem atque indolem novisſe et habere perſpectas, magis, quam earum verba tenere, Iurisconſulti est. —

 Quid

Quid contra historia est fine Iurisprudentia? Quid refert novisse, apud Ceos legem fuisse, qua, qui sexaginta annos excessissent, e vita tollerentur, ut reliquis victus sufficeret? Quid, Magophoniam a Persarum proceribus commissam, atque deinde tanquam festum celebratam fuisse? Quid, Pisistratum Athenis imperasse, Pausaniam imperio orbatum esse? Quid, Tarquinium exactum, Bruti filios caesos, Caesarem occisum esse? quid alia multa, nisi secundum certam normam, fallere nesciam, diiudicaveris, quid iustum, quid iniustum in iis sit, quid iuri, sive quod ante saecula semper fuit et ubivis terrarum idem, sive quod a populis est receptum, conveniat, aut ab eo recedat? — Perspicuum est igitur, arctissimo utramque doctrinam vinculo esse coniunctam, adeo quidem, ut plusne historiae iurisprudentia, an iurisprudentiae historia commodi afferat et adiumenti, determinare non ausim. Historiam dico, non quae ex recentiorum scriptis, ut fere fit ab iis, qui fontes non vident, rivulos consectari delectantur, sed ex ipsis veteribus, tanquam puro fonte petatur. Cui rei quum per hos tres praesertim annos severiorem operam dare inceperim, excerpta ex illis atque annotationes faciunt, ut, de historia facilius, quam de quavis alia disciplinae parte, quid proferam. Est

Est etiam quod lectorem, ſi quem nanciscatur haec ſcriptiuncula, paulisper detineam, ut ſciat qua re factum ſit, ut de Coloniis veterum *potisſimum ſcriberem, praeſertim, cum haec commentatio in manus huius illiusve fortasſe ſit ventura, qui eam antea legerit. Scilicet, proximis his elapſis annis, a Societate doctrinarum Hollandica, quae Harlemi est, ſemel atque iterum propoſita est quaestio, duabus contenta partibus, quarum altera de Coloniis veterum quaereret, altera de horum exemplo ab hodiernis imitando. Ad cuius priorem partem, nam ad alterutram licebat, reſponſionem conſcripſi, minus ea ſpe, ut praemium reportaturus esſem: quod in certamine, in quo cum viris bene eruditis atque literatis ſaepe concertandum est, iuveni ſperare vix licet: quam eo conſilio, ut rem penitus investigarem, atque vires exercitarem. Quidquid ſit, nec commentatio alterius, qui mecum contendit, nec mea digna viſa est, quae praemio ornaretur, ſive quia iuveneliter nimis, atque adeo minus bene esſet conſcripta, cuius rei ratio in occulto non est, ſive quia minus ſatisfaceret Societati, utpote quae forſitan ad utramque, immo vero ad posteriorem partem respondi mallet; quod opinatus ſum ex ratione, qua nunc denuo eadem quaestio propoſita est. Quodſi hanc com-*

commentationem, qui de ea iudicium tulerunt, iidem nunc in lucem prodire videant, eos, quod mirentur, talem responsionem sibi esse oblatam, non habituros esse censeo, cum iuvenis auctoris nomen patefiat.

Existimavi tamen hanc commentationem sufficere, qua summos in Literis honores capessérem, praesertim quum ad id non perfecti quid requiratur, sed potius, ut ostendatur tempus non frustra consumtum esse. Cuius rei iudicium Benevolo Lectori relinquo.

DISSERTATIO HISTORICO-LITERARIA INAUGURALIS.

DE

COLONIIS VETERUM.

CAPUT PRIMUM.

DE COLONIIS PHOENICUM.

Coloniarum Phoenicum rationem defcripturo, illud agere mihi est animus, ut, quoad eius fieri posfit, inquiram, quaenam hac in re illi fuerint fecuti, principia; qua ratione, quo confilio illas deduxerint, five quam rationem fecuti fuerint, aut in iis emittendis, aut in iis inftruendis, ut illis principiis fatisfieri posfet, et denique quasnam utilitates ex coloniis perceperint, five quatenus coloniae confilio, quo deductae erant, fatisfecerint.

Ut autem commentatio nostra ordine progrediatur, pauca univerfe praemittamus de merca-

tu-

tura et navigatione Phoenicum, quod in primis necesſarium duxi, quum hae cum eorum coloniis tam arcte cohaereant, ut de his non facile accuratum inſtituatur iudicium, ab iis, qui illarum rerum notitia ſunt imparati.

§ 1.

De Mercatura navigatione Phoenicum.

Inter omnes, quotquot fuerunt in antiquo orbe, populos, qui mercaturae et navigationi operam dederunt, nulli ſane fuerunt, ſi latisſimum, quo eas excercuerunt, campum, ſimul cum earum celebritate et perfectione, ad quam eas perduxerunt, ſpectemus, qui Phoenicibus palmam praeripere posſent. Licet enim navigationis inventionis honor Aegyptiis tribuatur, Phoenices tamen ſine omni dubio primi per mare navigarunt, et navigationem inſtituerunt, ut ea mercaturae inſerviret (1), cum e contrario Aegyp-

(1) DIOD. SIC. V. 20. (ed. Wesſelingii) ſcribit: *Φοίνικες ἐκ παλαιῶν χρόνων συνεχῶς πλέοντες κατ᾽ ἐμπορίαν, πολλὰς μὲν κατὰ τὴν Λιβύην ἀποικίας ἐποιήσαντο, οὐκ ὀλίγας δὲ καὶ τῆς Εὐρώπης ἐν τοῖς πρὸς δύσιν κεκλιμένοις μέρεσι.* Cf. TIBULLUS, I. *El.* 7. VS. 20.

gyptii in Nilo flumine navigarent, nec Aegypti oras relinquerent, tum quia ipsa illa regio sibi satis sufficiebat, tum quia commercia peregrina, omniaque, quae ex mari adipiscerentur, aspernabantur, religione in primis obstante et sacerdotibus impedientibus, cum inter impios collocarent, qui navi Aegyptum reliquissent (2) unde ad Neconem usque, quod quidem constat, nullius expeditionis ab iis mari susceptae a scriptoribus fit mentio. — Haec ita non fuerunt comparata apud Phoenices; horum enim regio mari adiacebat, neque adeo fertilis, ut sibi ipsa prospicere posset, sed ad navigationem idoneis portubus instructa erat; e Libano autem monte tantum omnis generis ligni sibi capere poterant, quantum ad classes satis magnas aedificandas esset opus (3). Unde ratio in promptu est, ob quam Phoenices prae ceteris populis mercaturae et navigationi maximam operam dederint. Licet vero Phoenicum mercatura et navigatio aeque ac ceterarum gentium ab origine pyratica esset, itâque celebrentur ab Homero (4) primi tamen na-

(2) Chaeremon apud porphyrium. *de abstin.* IV. § 8. *ὅιγε ἐν τοῖς ἀσεβεςτάτοις ἐτίθεντο πλεῖν ἀπ᾽ Ἀγύπτου* (edition. I. de Rhoer).

(3) Diod. sic. XIX. 58.

(4) Homerus. *Odyss.* XV: vs. 402 seq. Cf. herod. I init.

navigationem perfecerunt, quod astronomiam inventam ad navigationem adhibuerant, (5) qua doctrina naves secundum certam aliquam normam dirigere, et ad remotiores orbis partes navigare possent. Tempore iam belli Troiani pleraeque maris Aegaei insulae ab iis occupatae erant (6), quas tamen deinceps relinquere maluerunt, Graecorum potestate identidem increscente, cum suis in rebus non facile aemulos se habere paterentur, et sua itinera ad alias fertiliores regiones dirigerent.

Vergebat autem eorum navigatio in primis per mare Mediterraneum; ad utramque eius oram appulerunt, praesertim in partem septemtrionalem Africae et inferiorem Hispaniae oram, ibique tum etiam in multis insulis, multas condiderunt colonias. — Haec itinera a scriptoribus plerumque figuratim describuntur et Herculi tribuuntur (7), quem Phoenices tanquam Deum patrium sub nominibus *Melcarti* et *Diodan* honorabant, cuique omnes periculi plenas expeditiones adscribenda esse existimabant. — Exemplum hic apponere iuvat, ut pateat, quam late iam

(5) Strabo XVI. pag. 1098. ed. Almelov.
(6) Homerus *Il.* VI. vs. 289 seq. XXIII vs. 743 seq.
(7) Diod. sic. IV. 17 et passim.

iam antiquisſimis temporibus fuerint propagata commercia et navigationes Phoenicum. Israëlitae, devictis Madianitis, inter praedas a devictis captas, cum ceteris metallis, inveniebant ſtannum (8), cuius tamen fodinae nec apud Madianitas, nec apud eorum vicinos erant. Eiusdem metalli inſignis etiam apud Graecos, iam tempore belli Troiani, uſus erat, teste Plinio (9). Eo enim praeclari in hoc bello heroes Agamemnon et Achilles ornati erant (10). Scriptores autem ſatis docent, haec multaque alia metalla, in Hispania et Luſitania antiquitus esſe effosſa; Phoenices autem, cum primi et antiquisſimis temporibus ſoli ad has oras venirent, ſolos haec metalla aliis populis potuisſe ſuppeditare (11). Attamen Graeci, et ſua adhuc aetate Herodotus, unde haec metalla petierint Phoenices ignorabant (12). Ex quibus ſimul patet, quam caute caverint Phoenices, ut, quae ſuscipiebant itinera, alios populos laterent, et illarum divitiarum fontes aliis ne aperirent, quod princi-

(8) *Num.* XXXI. *Comm.* 22.
(9) Plinius XXXIV. 16.
(10) Homerus *Il.* XI. vs. 34. XVIII. vs. 613.
(11) Strabo III. p. 219. Diod. sic. V. 38. Stephanus *de Urbibus* voce Ταρτήσσος.
(12) Herod. III. 115.

cipium Carthaginienses deinceps etiam sunt secuti. Nec mirum! Cum eorum mercatura permutatione fere contineretur, atque adeo si regiones, ex quibus illa petebant, aliis innotuissent, aliique in eas advenissent populi, hi fortasse pretium duplo et triplo maius, quam Phoenices, reddidissent, et sic horum mercaturae valde noxii fuissent; quantopere autem Phoenices, quod ad mercaturam attinet, prae ceteris aestimarentur, ex illo licet efficere, quod Aegyptii, quorum constans ceteroquin institutum erat, ut omnibus peregrinis in suam regionem aditum recusarent, Phoenices tamen benigne acceperint, et Memphis tribum ab iis habitari passi sint (13).

Tanta celebritate Phoenices utebantur, ut, si quis populus aliquam per mare expeditionem suscipere vellet, is sese ad Phoenices converteret, ab iis, has melius edoctis, petentes, ut sibi consilio auxilioque adessent. Sic expeditio Salomonis ad regionem Ophir ducibus in primis facta est Phoenicibus, qua una quadringenta et quinquaginta talenta auri ad Salomonem miserunt (14). — Sic Neco Aegypti rex Phoe-

(13) HEROD. II. 112.

(14) I. *Regum* IX. 26 seq. II. *Paralip.* VIII. vs. 18.

Phoenices adhibuit ad Africam circumvehendam (15). In celebri illo bello inter Perſas et Graecos, qui *Perſici* ſive *Medici* venit nomine, Perſarum clasſis magna ex parte navibus Phoenicum erat compoſita (16); argumento navigationis Phoenicum ad maximum perfectionis gradum deductae. — Ex his intelligi potest, quanta fuerit Phoenicum mercaturae et navigationis fama, neque immerito in ſacris litteris *mercatores* κατ᾽ ἐξοχήν, eos dictos fuisſe (17) et Lucianum (*in Toxari*) asſeruisſe, nullos fuisſe Phoenicibus θεώτερους ἐμπόρους; immo Prophetam Ieſaiam eorum urbem Tyrum *coronam*, huiusque mercatores *Reges* dixisſe, *principesque totius terrae* (18). Et, ſi Phoenicum indolem, eorum prudentiam civilem, legum mentem animadvertamus, omnia videmus ad unum conſilium referenda esſe, et uni inſtituto inniti, ut ſcilicet latisſimam exercerent mercaturam, utque maris imperium ſibi concilia-

(15) Historiam huius itineris enarrat HERODOTUS IV. 42. —

(16) HERODOTUS VI. 33. Cf. *idem* VI. 6 ubi ait: τοῦ δὲ ναυτικοῦ φοίνικες μὲν ἔσαν προθυμότατοι.

(17) Cf. GOGUETUS, *de l'origine des lois, des arts et des ſciences*, tom. I. pag. 605.

(18) IESAIAS XXIII. VS. 8.

liarent (19). Atque huc pertinent innumerae illae coloniae, quas per totum fere orbem quoquo versum deduxerunt, quas omnes enumerare hic meum non est (20), sed ad quarum rationem explicandam et consilium, quod in iis condendis observarunt Phoenices, proponendum, nunc accedo.

§ 2.

De caussis, ob quas Phoenices colonias emiserunt.

Variis populis varia fuit coloniarum deducendarum ratio, quod egregie tetigit Seneca; » Alii," inquit (21), » longo errore iactati non » iudicio elegerunt locum, sed lassitudine proxi» mum occuparunt; alii sibi ius armis in alie» na terra fecerunt; quasdam gentes, dum » ignota peterent, mare hausit; quaedam ibi » consederunt, ubi illas rerum inopia deposuit. » Nec omnibus eadem caussa relinquendi, quae» ren-

---

(19) De progressu navigationis apud Phoenices egregia bene multa leguntur apud GOGUETUM l. l. et II pag. 548 seq. III p. 252 seq. —

(20) Colonias illas enumeravit BOCHARTUS, *in Chanaan:* Op. tom. II. p. 351 seq. —

(21) *Consol. ad Helv.* c. 6. —

» rendique patriam fuit. Alios excidia urbium » ſuarum hostilibus armis elapſos, in aliena ſpo- » liatos ſuis expulerunt, alios domestica ſedi- » tio ſubmovit; alios nimia ſuperfluentis po- » puli frequentia ad exonerandas vires emi- » ſit; alios pestilentia, aut frequens terrae hia- » tus, aut aliqua intoleranda infelicis ſoli vitia » eiecerunt, quosdam fertilis orae, et in maius » laudatae fama corrupit; alios alia cauſa ex- » civit domibus ſuis." Quamvis tamen, quod neminem fugiet, hic nonnulla enumerentur, quae non quidem coloniis, ſed potuis emigrationibus nulla civitatis auctoritate ex patria profectis, et adeo, coloniarum nomen minus merentibus, originem dederunt. Nos vero, licet tales emigrationes ſilentio non praeterire animus ſit, in primis tamen oculos vertimus ad colonias, proprie ita dicendas.

Si, quae ſupra de mercatura et navigatione Phoenicum disputavimus, mente volvamus, non magna difficultate laborat inquiſitio, quo conſilio ſingulae eorum coloniae fuerint conditae; ut enim omnia fere eorum inſtituta mercaturae et navigationi ſunt tribuenda, ita etiam, ut eas eo latius propagarent, optimum iis ſedebat conſilium condendarum coloniarum. Non aliter enim ac recentiores populi latam mercatnram et navigationem exercentes, Phoenices perſpiciebant, colonias ſibi necesſarias esſe, et ſi-

 ne

ne iis omnia cetera ad mercaturam pertinentia vana fore atque inania. Hoc enim intelligitur tum ex veterum ſcriptorum testimoniis, tum in primis ex regionibus, in quibus coloniae illae conditae fuerant, et ex via, quam Phoenices navigando ſecuti ſunt. — Colonias enim in primis condiderunt, in regionibus iis populis vicinis, quibuscum commercia exercebant. — Ita temporibus, quibus cum Graecis mercaturam exercebant, in inſulis maris Aegaei et ad utramque eius oram colonias habuerunt. Praeter Cyprum enim, Rhodum, Cretam aliasque inſulas, Cyclades, Samos, Chios, Euboea, Lesbos, Tenedos, Thaſus, Cilicia, Piſidia, Solymorum regio, Caria, Bithynia, Paphlagonia, Thracia, Boeotia, diverſis temporibus a Phoenicibus colonos acceperunt (22); qui illuc erant allecti opportunitate locorum et agrorum fertilitate divitiisque, ex quibus ipſos Phoenices multum percepiſſe lucri, infra videbimus. Simul atque vero Graeci maiores vires cepiſſent, atque civitates informaſſent, non tantum bene conſtitutas, ſed etiam ad peregrinorum impetus et incurſiones arcendas, idoneas, oras illas relinquebant Phoenices, aliarum regionum fructibus colligendis operam daturi. Na-

(22) De his et nonnullis aliis vide BOCHARTUM, l. l. tom. II. pag. 351 ſeq.

Navigarunt autem deinceps in primis per mare Internum, praesertim in eas huius maris regiones, in quibus praecipuas habuerunt colonias, in Africam scilicet, Siciliam et Sardiniam, potissimum vero in meridionalem Hispaniae partem, divitiarum fama quondam celeberrimam et Phoenicum opulentiae principem fontem. Quid enim aliud indicant ea, quae de Hercule Phoenice a scriptoribus narrantur, quippe qui bellum paravit contra Chrysaorem, auri opulentia hoc nomen adeptum, quique per universam Iberiam regnare dicebatur (23).

Denique cum eorum coloniae ad oras plerumque essent sitae, luculenter ex hos ipso constat, eas mercaturae causa conditas fuisse, quod Thucydides etiam diserte indicat, ubi dicit, colonias Phoenicum in Sicilia insulisque vicinis conditas fuisse ἐμποϱίας ἕνεκεν (24). Phoenices enim, quorum regio nimis angustis erat inclusa limitibus, quam ut magnas copias instruerent, eamque bellicis expeditionibus per Asiam propagarent, non erat populus, qui bellicis expeditionibus operam daret; si autem eas suscipere vellent, peregrinis militibus utebantur

(23) Diod. sic. IV. 17.
(24) Thucyd. VI. 2.

tur (25); ſed artibus pacis promovendis ſtudebant, et cum orientem verſus limites Phoenices non posſent propagari propter potentia, quae eam circumdabant imperia, e contrario occidentem verſus totum iis patebat mare Internum. Unde coloniae in eius oris aliisque in terris non ideo ab iis conditae ſunt, ut multa imperia multasque gentes ſibi ſubiicerent, ſed quia necesſariae erant ſequelae eorum mercaturae et navigationis.

Harum autem coloniarum, quarum condendarum princeps conſilium erat, ut mercaturae et navigationi inſervirent, non omnium una et eadem plane erat ratio; tres potisſimum ſpecies posſunt referri. — Aliarum enim ratio erat, ut ex regionibus in quibus conditae erant, coloni merces peterent. Huc omnes illas referendas esſe crediderim, quae in Hispaniam et deinceps ultra Herculis columnas erant emisſae; ſi enim Phoenices divitiis quid valuerint, illud ſane hisce regionibus debebant, utpote antiqui orbis ditisſimis. Aliae deinde ideo emittebantur ut merces ex his regionibus haustas, aut eas, quas ipſi coloni ſecum ex Phoenice duxerant, aliis populis venderent aut permutarent. Huc pertinent coloniae in Graeciam deduc-

(25) Ezechiel, XXVII. 10, 11.

ductae, quae iam antiquisſimis temporibus magnum cum Graecis commercium habuerunt. Aliae denique, ut in iis merces tuto posſent deponi, ut emporia esſent et ſtationes, quae mercatori in longinquas regiones naviganti non tantum ſunt utilisſimae ſed quibus ne carere quidem poteſt. Huic autem rei in primis inſerviisſe videntur nonnullae maris Interni inſulae Sicilia, Sardinia et Baleares (26); licet tamen ob hanc rem ſolam non conditae esſent, ſed ſimul ut regionis fertilitate Phoenicibus prodesſent.

Eadem principia ac metropolis ſecuta eſt Phoenicum colonia Carthago, quae etiam, quoties mercatura et navigatio illud poſtularent, colonias emittebat, cuius tamen non omnes coloniae mercaturae et navigationis cauſa deductae fuerunt; nam earum, quae in inferiorem Africae partem deducebantur, ratio erat ut agriculturam excercerent illi coloni.

A-

(26) De Melite inſula, diſerte illud tradit DIODORUS SIC. V. 12, quam Phoenices *καταφυγὴν εἶχον, εὐλίμενον οὖσαν.* Eodem conſilio Carthagenienſes Phoenicum maiorum ſuorum exempla ſecuti in inſulam Pityuſam coloniam deduxerant, utpote quae *λιμένας* haberet *ἀξιολόγους, καὶ τειχῶν κατασκευὰς εὐμεγεθεις.* DIODORUS SIC. V. 16. Atque hinc opportuna iis fuit propter commercium cum Hispania.

Carthaginienſibus praeterea alia coloniarum deducendarum ratio erat, a Phoenicibus plane aliena; ut ſcilicet totas gentes totasque regiones armis ſibi ſubiicerent. Huius quidem diverſitatis ratio non longe quaerenda videtur. Ipſe Phoenices ſitus inter populos potentiores impedivit, quominus huic rei operam navarent Phoenices. Hic autem ſitus niſi obſtitisſet, Phoenices aeque ac omnes respublicae liberae, tam antiqui, quam recentioris aevi, regni limites bellis propagare ſtuduisſent; Carthago quidem, ut Phoenice, ad mare ſita erat, attamen ex Africa tot milites mercede ſibi conducere poterat, quot ad bellicas expeditiones etiam maximas ſibi esſet opus. Accedebat, quod non, uti Phoenice, magnis regnis et imperiis, ſed a nomadibus parum cultis et civitati potentisſimae facile ſervientibus esſet cincta. Hinc ratio coloniarum provinciarumque Carthagenienſium adeo erat conſtituta, ut in quibus rebus diverſae vel ſimiles fuerint, non facile distinxeris, cum principia occupandi apud eos ex coloniis provenirent, uti recte monet Cl. Heerenius (27). — Alia vero huius diverſitatis cauſa in eo quaerenda videtur, quod Phoenices per

(27) *Ideën*. th. II, abth. 1, pag. 73 et 99.

per longam seculorum seriem cum nullis fere populis bellis implicarentur, et mercaturam quieti exercere possent, nullis aemulis obstantibus, cuius rei causa esse videtur, quod illis praesertim temporibus mercaturam exercuerint, quibus si hic vel ille populus potentia aliquantum cresceret, sine damno horum regiones relinquere potuerint, alia loca illo aevo minus frequentata et feliciora quaesituri. Carthago vero illis temporibus florebat, quibus plura iam magna imperia exstiterunt. Alexandriae et Romae potentia gloriaque crescebant, easque aemulas nanciscebatur Carthago, quarum igitur opes metuens, reipublicae fines propagare, eosque, quoad eius fieri posset, contra illorum invasiones defendere et tueri, prudentia civilis iubebat.

Alterum consilium, quo Phoenices colonias deduxerunt, erat, ut ita nimia superfluente incolarum turba civitas liberaretur. Tales quidem coloniae non emittuntur, ut mercaturae inserviant, sed potius has sequantur necesse est. Civitates enim parvi ambitus, in quibus mercatura et navigatio praecipui sunt fontes, unde cives vitam quaerant, brevi, multis advenientibus advenis, numero civium, in primis inferioris conditionis, nimis magno onerantur, qui, si omnes non satis habeant, unde vitam sustentent, multarum turbarum et motuum civilium necessaria sunt causa, civitatique magna dam-

damna ſolent afferre (28). Conſtans etiam hoc conſilium apud Phoenices erat et esſe debuit, ſecundumque illud plures ab iis variis temporibus emisſae ſunt coloniae. Huic cauſae multae illae coloniae tribuuntur, quae cum Cadmo eiusque ſociis ex Phoenice migrarunt post Israelitarum in Phoenicen adventum; coloniae in Africam misſae et Uticae conditae eandem cauſam refert Iustinus (29).

Tertium fuit coloniarum genus, quae proprie non ipſa civitate auctore condebantur, ſed ab iis, qui ex Phoenice profecti erant, certam aliquam coloniam condituri, et in regionibus, in quas itineris curſu et tempestate deferebantur, ſociorum partem relinquebant, aut in alias regiones ex ſuis colonos mittebant. Hae igitur coloniae ducis magis auctoritate emittebantur, et principis coloniae auctore civitate emisſae veluti pars erant. Inter quas igitur et illas, de quibus modo egi, aliquod fuit discrimen (30).

Non-

(28) Cf. HEEREN, *Ideën.* th. I, abth. 2, pag. 33.

(29) IUSTINUS, XVIII. 4.

(30) Hoc modo a Cadmo plures coloniae ſunt deductae. Hic a rege iusſus Europam quaerere, cum colonia ex Phoenice profectus, tempestate coactus ad Rhodum inſulam appulit, ubi commorabatur, utque votum Neptuno ſolveret, Dei templum condidit, et ex itineris ſociis aliquot hu-

ius

Nonnullae coloniae civilibus dissensionibus, iisque subsecutae alterius factionis secessioni, originem debuerunt. Illis autem originem debuit celeberrima illa Carthago, quae ipsa deinceps multas etiam emittebat colonias, latissimamque exercebat navigationem. Eadem ratione alias colonias Leptidem condidisse tradit Sallustius (31).

Peculiarem denique caussam, ob quam nonnunquam coloniae Phoenicen reliquerint, tradit Curti-

---

ius templi custodes reliquit. DIOD. SIC. V. 58. Relicta vero Rhodo prius quam in Boeotiam peteret, colonos etiam reliquit in insula Thera. HEROD. IV. 147. et Thaso *Idem* VI. 47. PAUSANIAS V. 25. ed. Kuhnii. In eodem itinere Cadmus colonias in oras Africae misit quarum meminit PROCOPIUS. *de Bell. Vand.* II. 10, cuius tempore illarum vestigia saltem superfuisse videntur, cum inscriptionem Phoeniciam columnarum in Africa Tungitana erectarum laudet in hanc mentem: *ἡμεις ἐσμεν ὁι φύγοντες ἄπο προσώπου Ἰησους τοῦ λῃστού ὕιου Ναυη.* De iisdem loquitur Eusebius *οὗτοι ἔφυγον ἄπο προσώπου τῶν ὑιῶν Ἰσραηλ, καὶ κατῳκήσεν Τριπόλιν τῆς Αφρικὴς.* Has autem easdem fuisse atque eas, quas Cadmus in Africam misit, ex eo colligitur, quod idem Eusebius docet, Cadmum tempore Iosuae vixisse. Phoenician originem incolarum regionis, quam Graeci nomine *Τριπόλις* celebrant, ex trium eius urbium *Leptidis*, *Ocae* et *Sabratae* nominibus, linguae Phoenices probavit MIGNOTUS *Mem. de l' Acad. des Inscript. et bell. lettres.* tom. 34. pag. 172 seq.

(31) *Bell. Iug.* c. 78.

tius, » quia," inquit » crebris motibus terrae, » cultores eius fatigati, nova et externa domi- » cilia armis sibimet quaerere cogebantur" (32).

Nostra quidem disputatio eas in primis amplectitur colonias, quae ipsa civitate auctore deductae fuerunt, eas tamen, quae ad posteriores classes pertinent, hic non omittendas esse existimabam; quamvis enim ad proprie sic dictas colonias minus pertineant, tamen si ad nexum, quo deinceps semper cum metropoli iunctae erant, respiciamus, merito illae cum his coniunguntur; quamobrem de illis omnino tacere non oportere putavi.

§ 3.

De ratione et modo, quo Phoenices colonias deduxerunt.

Expositis consiliis et causis, quibus Phoenices ducti colonias emiserunt, nunc videamus, qua ratione quove modo eas emiserint, sive quae principia in iis emittendis fuerint secuti, ut coloniae consilio suo satisfacerent.

Primum inquirendum esset, quinam coloni a

(32) CURTIUS. IV. 4. Phoenicem terrae motus passam fuisse tradit POSIDONIUS apud STRABONEM. I, p. 100.

a Phoenicibus fuerint deducti, et qua ratione Phoenices eos elegerint. Haec tamen disquisitio eo difficilior est, quod nullibi, quod sciam, illud diserte docetur; at vero ad ipsam coloniarum rationem earumque causas respicientibus coniicere liceret, colonias non raro e supervacua hominum multitudine fuisse compositas. Neque hoc omni veri specie carebit, dummodo cogitemus, quae supra disputavimus, colonias saepius fuisse emissas, ut numero civium nimis magno parvi ambitus civitas liberaretur, quod saepissime in civitate, in qua mercatura et navigatio exercentur, locum habere potuit.

Hinc coloniarum socii inferioris plerumque videntur fuisse conditionis; honestiores enim, laetioribus fortunae donis fruentes, nec meliora sperantes, in patria ad sua augenda commoda satis idonea manere maluerunt, quam peregre abire, sub alio coelo quaesituri, quod in patrio solo iam invenerunt. Quod tamen quantopere ipsis coloniis noceat, et quatenus tales minoris pretii sint habendae illis, quarum socii honestiores sunt homines, non est quod dicam (33).

Co-

(33) Vere dixit Ill. PRADTIUS, in opere: *les trois ages des colonies.* tom. II. pag. 226. „La colonie ne peut manquer de se ressentir des vices des habitans primitifs, comme les races se ressentent de ceux de leur auteurs." Qui dein-

Coloniae Cartheginienſium non ex ipſius Carthaginis civibus compoſitae erant, niſi ex pauperioribus. Hi vero non eo conſilio patriam relinquebant, ut in novis ſedibus perpetuo habitarent, ſed ut brevi, ad victum ſatis ſibi compararent (34). In Periplo autem Hannonis diſerte legimus, hunc iusſum fuisſe extra Herculis columnas navigare, et colonias ex Liby-Phoenicibus condere. Hoc tamen antiquitatis monumentum nos non docuit, quare ex Liby-Phoenicibus hae coloniae fuerint compoſitae; num ut in novis ſedibus agricultura etiam coleretur, an vero propter alias rationes.

Coloniae Phoenicum pleraeque mercaturae et navigationis cauſa fuerunt conditae, quas cum praeſertim per mare Internum exercerent, quid cum rei natura magis convenit, quam quod per colonias ſeſe etiam per idem mare ab oriente ad occidentem verſus propagarent. Eo pertinent omnia, quae de Herculis Tyrii per hoc mare itineribus narrantur.

Praecipue autem haec itinera Hispaniam verſus ſuscipiebantur, cum haec maximam Phoenicibus

---

deinde vehementer gentes Europaeas reprehendit, quod infimorum hominum colluvie colonias repleverint. Quod tamen num illis magis, quam ipſius rei rationi, tribuendum fuerit, equidem determinare non auſim.

(34) Aristoteles. *Polit.* IV. 5.

bus mercaturae copiam tribueret. Hinc Ezechiel Propheta Tyrum ita alloquitur: » Naves Tharfis te canebant propter commercium quod tecum habebant" (35). Non fine prudentia regiones ad fua confilia idoneas et coloniis aptas eligebant Phoenices; cum enim non illud eorum inftitutum esfet, ut per colonias totum fibi fubiicerent terrarum orbem, utque vastum et latisfimum haberent imperium, omnibus gentibus metuendum, fed ut mercaturam magis magisque propagarent, et ex ea maxima commoda et emolumenta perciperent, colonias in iis maxime regionibus condiderunt, quae huic confilio maxime convenirent. Hinc eorum colonias in fertilioribus terrarum partibus et fitu fuo commodisfimis invenimus; neque colonias in talibus regionibus condiderunt, quas certo fciebant, nec mercaturae nec navigationi fore utiles, licet etiam per alias res alios populos allicerent.

Pleraeque coloniae in maris oris et infulis fitae erant, quod etiam confilium Carthaginienfes funt fecuti. Perfpexisfe fcilicet videntur, quanto pretio tales praeftent iis, quae in interiore terrarum parte funt pofitae. Non enim tanto navium et copiarum numero iis opus erat, neque ita facile

(35) Ezechiel. XXVII vs. 25. Cf. iesaias. LX. 8, 9.

le fortes aemuli metuendi; ubi autem hi ſeſe offerrent, facilius averti poterant; quae omnia etiam perſpexerunt nostri maiores, qui tot colonias in orientalibus inſulis condiderunt. — Neque populos mercaturae et navigationi operam dantes, et per colonias eas propagare ſtudentes decet, occupare loca, niſi videant, quo modo tuto ea posſint conſervari, quid utile, quid noxii ex iis ſit, et qua ratione ſingula conſilio ſuo idonea haberi posſint. — Hinc Phoenices caute caverunt, ne ſimul cum aliis populis colonias in iisdem regionibus haberent. Supra iam monui, eos, Graecis potentia crescentibus, Aſiae minoris oris inſulisque maris Aegaei cesſisſe. Eodem modo, deinceps Siciliam fere totam Graecis reliquerunt, et in alias regiones, Motyan, Soloen et Panormum petiverunt (36). Neque alias extranearum gentium colonias, aut peregrinos in regionibus, ſuis coloniis occupatis, patiebantur. Exinde fortasſe etiam explicandum, quod ceterae gentes omnes nesciverunt, unde divitias ſuas peterent Phoenices, qua de re ſupra iam egimus.

Idem plane conſilium ſecutos fuisſe Carthaginienſes, ex utroque foedere patet, quod cum Romanis fecerunt (37). Eorum tamen agendi ra-

(36) THUCYD. VI. 2.
(37) Apud POLYB. tom. I, p. 434, 437. ed. Schweigh.

ratio ceteroquin immanior erat, et iuri, quod inter gentes conftituit natura, minus conveniens. Narrat enim Strabo (38), eos peregrinos, qui in Sardiniam, aut ad Herculis columnas navigarent, maris fluctibus merfisfe.

Carthaginienfes tamen in emittendis coloniis et in regionibus hisce aptis eligendis, confilia fecuti funt, quae Phoenices plane ignorabant, faltem male obfervabant; unde Carthaginienfium coloniae Phoenicum coloniis multo meliores erant. Hi, fcilicet, quamquam omni cura ftuderent, ut in optimis regionibus colonias haberent, tamen eas in regionibus condiderunt a metropoli remotioribus, quam ut clasfes et copiae eorum iis fufficerent. Hinc coloniae primum quidem metropolin venerabantur, deinde tamen, earum potentia identidem crescente, et felici fitu iis favente, brevi eius obliviscebantur; et, fuo ipfae periculo mercaturam et navigationem exercentes, ipfam metropolin fuperabant. — Coloniae vero Carthaginenfium metropoli magis erant vicinae, quippe quae ad eius orientem et occidentem iacebant. Unde Carthago coloniis fuis quafi erat cincta, adeo ut brevi itinere in infulas venire posfent; praeterea coloniae, licet *urbium* nomine faepius infignerem-

(38) Strabo. *lib.* XVII, pag. 1154.

rentur, ab origine tamen non erant nisi arces (φρούρια), quarum potentia ne nimis cresceret, sedulo cavebat metropolis. Hinc nulla eius coloniarum metropolin potentia superabant, uti ipsa Carthago Tyrum, et apud alias gentes Massilia Phocaeam, Syracusae Corinthum, Cyzicum ac Byzantium Miletum (39), immo ne vires quidem cum metropoli tentare ausa fuit. — Ipsa autem rei ratio docet, gentes colonias condentes, quaeque, ut ex iis utilitatem aliquam caperent, iis imperare, et ceteris populis in coloniis constituendis praestare voluerunt, id in primis curare debuisse, ut navigationis progressus cum numero coloniarum essent coniuncti, utque inter utrumque aliqua convenientia et aliquod aequilibrium, quod dicitur, esset. — Hoc autem Carthaginienses melius, quam Phoenices, observasse, ex multis rebus satis patet (40).

§

(39) VELLEIUS PATERCULUS II. 15.

(40) Idem illud recentioribus temporibus caute observavit Brittannia, eique in primis debuit, quod tantopere ceteris populis praestat. „Elle doit a cette attention la gloire „dont elle brille, la richesse dont elle jouit et le rôle „qu'elle joue sur la scène du monde." Ita PRADTIUS l. l. tom. II, pag. 224. Alia quaedam ad coloniarum Phoeniciarum deducendarum rationem pertinentia, prudens omisi, ne repeterem, quae hac de re annotavit Doct. BRAND, *dissert. de iure Coloniarum.* pag. 42 seq.

§ 4.

De modo, quo Phoenices colonias constituerunt deque necessitudine inter eas et metropolin.

Cum iam eo pervenerimus, ut Coloniarum Phoenicum rationem describamus, postquam in suas quaeque regiones advenerant, ita nostras res agere debere nobis videmur, ut ex hac §° elucescat, quaenam fuerit ipsarum coloniarum conditio et ratio, quaenam necessitudo, tam inter eas et metropolin, quam inter ipsas colonias.

Difficilis est quaestio, num coloniae Phoenicum ab initio liberae fuerint civitates, an vero metropoli subiectae, propter paucissima rerum Phoeniciarum, quae supersunt, fragmenta. Suspicari tamen licet eas ab initio liberas fuisse (41), et suam quasque propriam regiminis formam habuisse, quamvis plerumque hac in re metropolis exemplum secutas. Carthaginis vero coloniae eo consilio conditae fuisse videntur, ut statim easdem sibi subiectas retineret metropolis, qua igitur in re ab ipsa Phoenice diversa fuit.

Hu-

(41) De Coloniis in Hispania egregie illud docuit HEERENIUS *Ideen.* th. 1, abth. 2, pag. 57.

Huius diverſitatis rationem ſupra iam indicavi, ſitum ſcilicet coloniarum tam procul a metropoli Phoenices impedivisſe, quominus colonias ſub imperio retinerent. Hinc coloniae, quae metropoli magis erant vicinae, ei fortasſe ſubiectae fuerunt, ut Cyprus, Rhodus, Creta etc. Tempore ſaltem quo Salmanaſar Asſyriorum rex Phoenicibus bellum intulit, Cypri civitates contra Tyrios rebellarunt, neque ab hoc tempore ei amplius ſubiectae fuisſe videntur, quamvis deinceps arctisſimo etiam vinculo cum Tyriis coniunctae fuerint. — Tametſi vero pleraeque coloniae Phoenicum civitates fuerint liberae, et ſuam habuerint reipublicae formam, haec tamen ad exemplum metropolis fere erat informata, adeo ut magna esſet inter colonias et metropolin hac in re convenientia. Nec mirum. In plerisque enim regionibus, ad quas appulerunt Phoenices, ingenia et mores ad maiorem gradum cultus nondum erant perducti, neque in iis certa regiminis forma locum habebat. Coloni autem ex patria cultum ſecum ducebant, civitatisque formam informabant. Quid vero rei naturae magis est conveniens, quam eos coloniae reipublicae patriam formam tribuisſe, cui asſueti erant (42). —

Age

(42) Eandem agendi rationem recentiores populi ſecuti ſunt.

Age haec accuratius perſequamur. — Tota Phoenice nunquam una erat civitas, ſed quaeque urbs cum agris adiacentibus ſingularis erat civitas, cui, uti in antiquis civitatibus moris erat (43), praeerat Rex. Sic Tyrus (44), Aradus, Byblus etc. (45) regibus parebant. — Tempore etiam, quo Phoenices Perſis erant obnoxii, iisque tributa pendere debebant, ſuis quaeque urbs regibus obtemperabat, eosque concilio Xerxis, Graecos debellare meditantis, interfuisſe narrat Herodotus (46): *ἐπεὶ δε*, inquit, *ἀπικόμενος προΐζετο, παρῆσαν μετάπεμπτοι οἱ τῶν ἐθνέων τῶν σφέτερων τύραννοι καὶ ταξίαρχοι ἀπὸ τῶν νηῶν, καὶ ἵζοντο ὡς σφι βασιλεὺς ἑκάστῳ τιμὴν ἐδεδώκεε· πρῶτος μὲν ὁ Σιδώνιος βασιλεύς· μετὰ δὲ ὁ Τύριος· ἐπὶ δὲ ἄλλοι.* Ex quo etiam loco patet, Sidonis maiorem rationem fuisſe habitam, quam Tyri, propter-

ſunt. — E multis unum exemplum ſufficiat: „Le gou„vernement civil et militaire du Bresil, est antièrement cal„qué sur celui de Portugal. C'est la repetition exacte de „tout ce qui a lieu dans la metropole." DE PRADT, tom. I, pag. 58.

(43) ARISTOT. *Polit.* I. 2. IUSTIN. l. init.

(44) Seriem horum regum ab Abibale ad expugnatam Tyrum a Nebucadneſare ex Menandro nobis tradidit IOSEPHUS in *Apion.* I, § 21. De Hiramo Davidis aequali vide eundem *Ant.* VIII, c. 2. § 6, 7. Cf. II. *Sam.* V. 2. I *Reg.* IX. 2. I *Paralip.* XIV. 1.

(45) ARRIANUS *de Exped. Alexandri.* II. 20.

(46) HEROD. VIII. 67.

pterea, quod Sidon Tyro erat antiquior, et haec illius erat colonia. — Tempore etiam Alexandri, reges in Phoenice regnasſe, ex Arriano colligitur (47). Horum tamen imperium illimitatum non fuit, memorantur enim magistratus, qui cum regibus de rebus maioris momenti deliberabant (48); quae ſi non ad unam aliquam urbem, ſed ad plures pertinerent, ut de iis conſilia caperentur, Senatus ſingularum urbium Tripolin fere conveniebant (49). Adeo ut Phoenice nomine *regiae*, re *liberae reipublicae* formam potius habuisſe videatur: quod praeterea niſi aliunde ſciremus, ipſa rei ratio ſatis doceret; non enim, uti recte monet Heerenius (50), in civitate mercatura et navigatione tantummodo florente despoticum imperium per longam ſeculorum ſeriem vigere potuisſet.

Ut Phoenices, ita cuiusque coloniae ſingularis fuit civitas, ſuam habens civitatis formam, quae fere erat reipublicae liberae, vel ſaltem ad eam proxime accesſisſe videtur. — Propter monumentorum inopiam frustra tentaveris accurate determinare, quaenam cuiusque earum fuerit ra-

(47) Vide eum. l. l.

(48) *οἱ ἐν τέλει* ARRIANO. (II. 15 et 24.) dicuntur.

(49) DIOD. SIC. XVI. 41.

(50) *Ideën* etc. th. I, abth. II, pag. 21. Cf. MONTESQUIEVIUS, *Esprit des loix*. XIII. 14.

ratio. — De Tarteſſo testatur Herodotus, tradens Phocaeos eo veniſſe et benigne ab eius rege Arganthonio fuiſſe exceptos, qui iam octoginta annos ibi regnaverat (51). Gades vero reipublicae liberae formam habuerunt (52). Maxima autem invenitur convenientia inter formam civitatis Tyri et Carthaginis. Initio enim hanc regium imperium habuiſſe, ex iis, quae de Didone traduntur, effici ſolet; nondum tamen ſatis conſtat, num indeterminatum illud fuerit, uti nonnulli volunt. — Deinceps, (quo tempore nescimus) reipublicae liberae formam accepit, quae ſere *aristocratica* erat. Magistratus a populo per ſuffragia creabantur, et divitiarum, dignitatis ac populi amoris ratio habebatur (53). Senatus maioris momenti res curabat et penes eum, temporibus ſaltem, quibus maxime florebat Carthago, reipublicae moderamen fuiſſe, coniicere licet ex bona rerum administratione, quam Carthagine locum habuiſſe, non ſemel indicant ſcriptores, quamvis illud certo dici nequeat, aeque minus, ac num illud concilium per-

---

(51) HERODOT. I. 163. huius etiam meminit CICERO *de Senectute*. c. 19.

(52) HEEREN. *Ideën*. I. 2, pag. 58.

(53) *ὅπου οὖν ἡ πολιτέια βλέπει εἰς τε πλοῦτον καὶ ἀρετὴν καὶ δῆμον, οἷον ἐν Καρχηδόνι, ἅυτη ἀριϛοκρατική ἐϛι.* ARISTOTELES. *Polit.* V. 7. Cf. II. 2.

perpetuum fuerit, quinam eius ſocii, et quî illi lecti fuerint. Senatum convocabant reges ſive *Suffetes*, eique praeerant (54). Patet igitur ex paucis illis generatim propoſitis, maximam inter Phoenicen eiusque colonias fuisſe convenientiam civitatis formae (55). Sed ulterius inquiramus, quatenus coloniae ad metropolis exemplum fuerint inſtructae.

Civitatibus Phoenices communis erat religio. Omnes eosdem Deos, in primis autem Herculem venerabantur; quae communis religio foederi, quod inter illas civitatis fuit, multum proderat. Huius Dei templum primarium erat in urbe Tyro, et Herodoti tempore adhuc ſupererat (56). Unde huic Deo *Tyrii* cognomen. Hic est ille Hercules, cui, ut iam monui, Phoenices omnem mercaturae et navigationis gloriam tribuebant, cuiusque cultus in omnes colonias introducebatur, non tantum ab ipſis Phoenicibus, ſed etiam ab eius coloniis, quae deinceps ipſae colonias condiderunt. Hinc Diodorus eum ap-

la-

(54) Hebraeorum *Scophetim*, quos Romani *Conſules* dicunt. Livius. XXX. 7. Corn. nepos. *in Hannib.* c. 7. Festus in V. *ſuffes.*

(55) Egregie hac de re dixit heerenius (*Ideën* I. 2, pag. 17 ſeq.) „wenn man die Bruchſtucke" etc.

(56) Herod. II. 44.

pellavit *τὸν Ἡρακλεα τὸν παρὰ τοῖς ἀποίκοις* (57). Sic Phoenices, coloniam in infula Thafo condentes, huic Deo templum erexerunt, cuius meminit Euftathius: *εἶχε δε ἱερὸν Ἡρακλείους ἡ Θασος ὑπο τῶν αὐτῶν Φοινικῶν ἱδρυθεν, ὁι πλεύσαντες κατὰ σήτησιν τῆς Ευρωπῆς τὴν Θάσον ἐκτισαν* (58). Gadibus in eius honorem fanum cum facris magnificis, Phoenicum ritu peragendis exftruxerunt, quod Diodori Siculi etiam tempore fupererat, et non tantum ab ipfis Gaditanis, verum etiam a Romanis magna veneratione habebatur (59). Cadmus, postquam in infulam Rhodum venerat, in eius urbibus Ialisfo, Camyro et Lindo templum condidit in honorem Neptuni, a Phoenicibus culti (60); huiusque cultus in multas alias colonias, in primis quae in Africae ora feptentrionali erant fitae, introducebatur. Leptis Sidonis colonia pleraque Sidonica retinuit (61). Quamquam nonnunquam nova facra inftituerint, quae novis fedibus congrua essent

(57) Diod. sic. XX. 14.
(58) Eustath. *ad* dionys. vs. 323. — Cf. herod. l. l. et VI. 47.
(59) Diod. sic. V. 20. Arrianus. II. 16. ibique gronov.
(60) Diod. sic. V. 58.
(61) Sallustius. B. I. c. 78.

ſent (62), Herculem tamen Tyrium ſemper ſummopere coluerunt, cum ad ultima usque Tyri tempora legatos Tyrum mitterent, huic Deo ſacra ſacturos. Ita Olymp. CXVIII. 3 magnam pecuniae vim multaque alia pretio inſignia Tyrum ad eum miſerunt Carthaginienſes (63). Sic tempore, quo Alexander Magnus Tyrum obſidione cingebat, legatos in Herculis honorem ad metropolin miſerunt (64). Carthaginienſes etiam in regiones, in quibus colonias condiderunt, uni alicui Deo patrio templum erexerant, ut omnino patet ex Hannonis itineris deſcriptione, ex qua docemur, hunc templa Neptuno erexisſe.

Ritus et caerimoniae ad religionem pertinentes a Phoenicibus in omnes colonias introducebantur. Ita, morem hominum Diis immolandorum Carthaginienſes a Phoenicibus acceperant (65). Certis autem temporibus, infantes clarisſimarum familiarum Saturno ſacros dicebant. Diodorus huius rei egregium narrat exemplum. Tempore quo Agathocles obſidio Cartha-

(62) De Gadibus hoc testatur DIODORUS SIC. V. 20. ibique WESSEL. Sic Proſerpinae et Cereris ſacerdotio clarisſimos civium Carthaginienſes praefuisſe, legimus apud eundem. XIV. 77.

(63) *Idem.* XX. 14.

(64) ARRIANUS. II. 24. Cf. CURTIUS. IV. 2.

(65) Cf. CURTIUS. IV. 3.

thaginienſes premebat, hi, accepta clade, Saturnum ſibi adverſari existimabant, quod, cum ſuperiori tempore filiorum praeſtantisſimos huic Deo ſacrificasſent, pueros deinde clam emtos et enutritos ad ſacrificium mitterent. Quamobrem cum hostes ante urbem castra habentes cernerent, ad Deum placandum ducentos pueros, ex praecipua nobilitate delectos, immolarunt (66). Gelon Syracuſarum Rex, pacem cum Carthaginienſibus faciens, inter alia etiam ſtipulatum fuisſe dicitur, ut infantium Saturno immolandorum morem abrogarent (67), qua ſtipulatione nullam unquam pulcriorem vere dixit Montesquievius (68). Utinam tamen firmius eam tenuisſent Carthaginienſes. Quod enim modo huius rei laudabam exemplum, ſerioris est temporis, eosque hunc morem retinuisſe quam diu urbs ſtetit, auctor est Dionyſius (69).

Religio cum rebus civilibus tum in Phoenice, tum in coloniis arctisſime coniuncta fuisſe videtur. Scimus enim in rebus publicis ſacra plerumque fuisſe facta. Quid? Omnes colonias duce et

---

(66) Diod. sic. XX. 14.

(67) Plutarchus. *Apophteg.* Op. tom. II, pag. 175. *de ser. num vind.* pag. 552.

(68) *Esprit des loix.* X. 5.

(69) Dionys. hal. *Ant. Rom.* I. 38.

et auſpice Deo Hercule fuiſſe conditas, ſupra iam monui. Ita Hamilcar, quum bellum in Sicilia gerebat, ſacra faciebat (70). Et uti in Phoenice pontificii munere principes viri fungebantur, qui ipſis regibus nonnunquam affinitate erant coniuncti, (ut Sichaeus, cuius ſoror Dido regis Pygmalionis erat uxor,) ſic etiam Carthagine illustriores viri hoc munere ornabantur (71). Si igitur ex una colonia ad ceteras coniicere licet, idem illud in his locum habuit. Saepius enim Carthaginis prae aliarum coloniarum exemplo uti cogimur, propterea, quod licet etiam de illa multa denſis ſint involuta tenebris, de ea tamen multo melius quam de ceteris Phoenices coloniis edocti ſumus.

Coloniae denique Phoenicum leges, mores et linguam patriam retinebant. Notitia, quam legum Phoeniciarum habemus, angustis quidem est incluſa limitibus (72), attamen etiamſi ea nul-

---

(70) Herod. VII. 167.

(71) Vide Cartali, Malei ſive Malchi ducis, exemplum apud iustinum. XVIII. 7.

(72) Hac de re merito conquiritur *Abbas* mignotus, vere dicens: „Le code de ces loix nous seroit très utile pour juger du caractère et du genie de cette nation, mais le peu „de monuments qui nous restent, nous laisse prèsque tout „à désirer sur ce sujet." *Mem. de l' Acad. d. Inscript. et bell. lett.* tom. XL, pag. 48.

nulla esſet, probatione fere haec non indigent, cum nihil veroſimilius ſit, et per historiam antiqui orbis magis confirmatur, quam colonias, illas, quibus in metropoli utebantur, retinuisſe, quamobrem Cl. Heynii ſententiae, qua docet, certo ſtatui posſe colonias leges ac mores metropolis retinuisſe, quoties alia deſunt, quae contrarium probent, ſubſcribere nullus dubito (73). De nonnullis praeterea illud diſerte traditur; Sallustius testatur Leptidem Sidoniorum coloniam leges, cultus pleraque Sidonica retinuisſe, eiusque linguam aliquo modo Numidarum connubio fuisſe converſam (74). Abbas Mignotus peculiari disputatione (75) de legibus Phoenicum agit, et generatim affirmat, eas ab eorum coloniis fuisſe retentas. Multis autem exemplis deinceps confirmat, earum tum ferendarum tum curandarum rationem, eandem in coloniis fuisſe. Multarum etiam poenarum meminit, quas Carthaginienſes ab auctoribus Phoenicibus acceperant. Multae illae coloniae, in ora ſeptemtrionali Africae ſitae, omnes linguam Phoeniciam retinuerunt, ea-

---

(73) Heynii *Opusc. acad.* vol. II, pag. 178 cf. *ibidem* pag. 190, 200 ſeq.

(74) Sallustius *de Bello Iugurth.* c. 78.

(75) l. l. *mem.* 40.

eaque feculo etiam fexto aerae Christianae utebantur (76); unde; licet etiam alia deesfent, de earum origine Phoenicia fatis posfet conftare.

Quum igitur talis Phoeniciarum coloniarum conditio esfet ac ratio, quum fingulae ad exemplum metropolis esfent conftitutae, ne miremur maximam inter hanc et illas necesfitudinem fuisfe; et licet fingulae illarum civitates liberae fuisfe videantur, metropoli non fubiectae, fatisfaciebant tamen confilio quo emisfae fuerant, in primis quod illud inftitutum Phoenices fequebantur, colonias conftituendas esfe ad metropolis exemplum, hinc patebant coloniarum portus navibus Phoenices, et poterat tuto commercium inftitui inter metropolin et colonias, princeps fingularum deductarum confilium.

Coloni Phoenices quoquo verfum disperfi, neque originis obliviscebantur, neque novus fiebant populus, fed idem manebant, omniaque patria inftituta retinebant, licet, regionibus et temporibus aliquantum accommodata. Hinc artisfimum illud inter metropolin et colonias vinculum, hinc illa pietatis coloniarum erga metropolin officia, illarumque cum hac necesfitudo,

---

(76) Procop. *de bello Vand.* II. 10.

do, non alia atque inter liberos et matrem (77). Carthago, (huius in primis exemplo hic iterum uti iuvat), colonia libera, ſuo periculo mercaturam exercens, et Tyro potentia ſua parum cedens, Carthago ſumma ſemper cum religione haec officia obſervavit; ſemper enim decimam lucri partem, aut eius quod ab hostibus ceperat Tyrum miſit. Apollinis ſtatuam aeneam, mirae magnitudinis, quam prope Gelam, Siciliae urbem, ceperat, Tyrum dono miſit, quae ibi tempore Alexandri Magni adhuc ſupererat (78). Cartalo dimittebatur, ut decimam praedae partem, quam pater eius a Siculis ceperat, Tyrum duceret (79). Quo tempore Alexander Magnus arma contra Tyrum movebat, Carthago legatos miſit, Tyriis auxilium promisſuros, horumque uxores et liberos benigne excepit (80). Carthaginem Tyro auxilium in bellis praeſtitisſe, deni-

(77) Hisce nominibus in historia ſaepius ornantur. Ita Tyrum *filiam* Sidonis dixit IESAIAS XXIII. 12. Diutisſime metropolis memoriam a coloniis ſervatam fuisſe, ex eo intelligitur, quod ad Augustini usque aetatem, ſi quis e vulgo rusticorum circa Hipponem aut Carthaginem interrogaretur, quis esſet aut cuias esſet, respondebat ſe esſe Chananaeum, id est Phoenicen. Vide BOCHARTUM *de Colon. Phoen.* I. 24.

(78) DIOD. SIC. XIII. 108.

(79) IUSTINUS XVIII. 7.

(80) CURTIUS IV. 1.

nique patet ex altero foedere inter Carthaginienſis et Romanos inito, in quo Tyrii inter ſocios nuncupantur, dummodo ſcilicet de nostra urbe Tyro, non vero de Tyro ſive Tysdro in Africa, ibi est ſermo (81).

Tyrus contra ſua officia erga colonias non deſerebat, nec obliviscebatur eas liberos esſe ex ſe propagatos. Rogati enim a Cambyſe Perſarum rege, ut bellum contra Carthaginienſes ſecum gererent, Phoenices huic rei ſatisfacere recuſabant; quam longe autem ab hac re alieni esſent, quamque arctum esſet inter eos illud cognationis vinculum, ex verbis intelligitur, quae iis tribuit Herodotus: *ὁρκίοισί τε γὰρ μεγάλοισι ἐνδεδέσθαι, καὶ οὐκ ἂν ποιέειν ὅσια, ἐπὶ τοὺς παῖδας τοὺς ἑωυτῶν στρατευόμενοι* (82). Fugiens Hannibal prospero curſu cum Tyrum pervenerat, a Carthaginis conditoribus, ut alia patria excipie-

(81) Huic ſententiae, magis quam illi favere videtur HEERENIUS. *Ideen.* II. 1, pag. 50 et II. 2, pag. 704, not. 3. Quod, ſi recte procedat, probat talia foedera inter ipſas ſaltem colonias obtinuisſe. Hinc etiam Tyrii, hoc auxilio freti, maiori fiducia obſidionem ſaepe ſustinuerunt, cum ſpem in Carthaginienſes ponerent, a ſe progenitos. (DIOD. SIC. XVII. 40.) Hinc etiam Poeni Tyros hortati ſunt, ut obſidionem forti animo paterentur, brevi Carthagine auxilia ventura. Vide CURTIUM. IV. 2.

(82) HEROD. III. 19.

piebatur (83). Haec autem officia pietati tantummodo innitebantur, adeo ut, nulla vi cogente, coloniae illa metropoli praeſtarent. Eadem illa neceſsitudo etiam inter Carthaginem eiusque colonias locum habuit. Quum autem ſupra notaverim, has non adeo liberas fuisſe civitates, ſed magis provinciarum formam habuisſe, illa officia alio innixa fuisſe fundamento, hic monuisſe ſupervacaneum foret.

Ut in Phoenice ſingulae civitates, ita etiam coloniae ſibi vicinae, foedere erant iunctae, quarum una princeps erat, unde, quemadmodum Sidon et deinceps Tyrus erga ceteras urbes, ita videntur fuisſe Gades et Carthago, ratione ceterarum Phoenicum coloniarum in Hispania et Africa (84). Hoc tamen foedus amicitia non ſemper innixum fuit, cum haec colonia illa potentior, viribus ſuis contra illam ſaepius abuteretur, illique dominare ſtuderet. Quod inprimis de Carthagine animadvertere licet, quae totam Africam armis ſibi ſubiicere conabatur; et licet primum Uticae, ſe aetate maiori, parcere videretur, deinceps tamen haec maiorem Carthaginis potentiam agnoscere coacta est, cuius rei tandem pertaeſi Uticenſes, post bellum Pu-

(83) Livius XXXIII. 49.
(84) Cf. heerenius, *Ideën.* tit 1, abth. 2, p. 15.

Punicum primum, tota Africa contra Carthaginem commota, cum aliis ab his defecerunt, eorum praefidia necarunt, caesosque de muris infepultos abiecerunt, ne fepeliendi quidem potestate Carthaginienfibus concesfa, fi qui id peterent (85).

§ 5.

De utilitatibus quas Phoenices ex coloniis perceperunt.

Dubitari nequit quin coloniae populis mercaturam et navigationem exercentibus, easque magis magisque amplificare, et nominis famam quoquo verfum propagare ftudentibus, non tantum magnae utilitati, verum omnino necesfariae fint, quamquam non raro maximos fecum ferant abufus maximaque damna. Ut enim commercium optime et fine mercatorum damno exerceatur, hi locis five emporiis carere non posfunt, in quibus merces fecure deponant, in primis vero, fi mercatura illa exerceatur cum populis, quorum cultura nondum adeo est confpicua. Huic autem quantopere ipfae coloniae inferviant, nemo non videt. Populi enim maiori cultu praeftantes in regi-

(85) DIOD. SIC. *de virt. et vit.* Op. II · p. 567.

giones veniunt ab hominibus occupatas, quorum ingenium ne felicem quidem terrae conditionem perſpiciat, neque eius pretium agnoſcat. Advenae autem culturam ſecum e patrio ſolo ducunt, in novis ſedibus civitates condunt, omniaque, ad vitam ſocialem bene agendam pertinentia, in eas introducunt. Velut igitur mercaturae et navigationi ſinguli inſerviunt, ita coloniae gentibus humaniores reddendis, totiusque generis humani cultui promovendo non parum proficiunt. Quid? Coloniae Phoeniciae an non cultum Orientis in Graeciam duxerunt? Nonne ipſa Graecia, in primis postquam colonias deduxerat, ad maximum cultum fuit evecta, eumque in primis ſuis ipſa coloniis debuit? Haec tamen non eo valent, ac ſi omni nomine maximi pretii coloniae ſint habendae, earumque laudes omni ratione celebrandae. Optima quippe quaeque res per ſe, ſaepius pesſima evadit, et utut ceteroquin utilisſima, tamen ſi male adhibeatur damna fert maxima ſecum; coloniae, inquam, metuendae ambitioni, maximis hostilibus expeditionibus et occupationibus inter mercatores anſam non raro dederunt, quibus quid periculi plenius, mercaturae autem et navigationi, ipſiusque gentis eas exercentis commodo magis adverſarium, unquam potest excogitari? Referamne nefanda ista ſcelera a Carthaginien-

 ſi-

ſibus perpetrata, ut ſuae ambitioni et conſiliis ſatisfacerent. Repetamne, quibus artibus, et facinoribus impediverint, quominus peregrini in regiones, a ſe occupatas, venirent, et quantopere non ſemel in ipſos inquilinos, in primis inſularum nonnullarum ſaevierint. Quid loquar, quae nemo miraturus est, cum nimium notum ſit, quam recentiores etiam, quorum tamen provectior ingenii cultus, haec facinora ſint imitati, et quam miſeranda infelicium illorum utriusque Indiae conditio, qui, ut ſaevae Europaeorum ambitioni parerent, egregio, quod a natura acceperant, iure libertatis orbati, duram ſervire ſervitutem cogebantur, et bestiarum rerumque inſtar habebantur. — Quin potius redeamus ad Phoenices, quorum regionis ſitum obſtitiſſe quominus talia ſequerentur, antea ſignificavi, et investigemus quas utilitates, quaeque commoda ex coloniis perceperint.

Pleraeque regiones, in quibus colonias Phoenices condiderunt, tum fertilitate, tum ſitu ſuo iis maximae erant utilitati. Age primo loco videamus quomodo fertilitate ſua Phoenicibus profuerint. Obiter autem moneo, non mihi animum eſſe ſingulas omnes memorare, quod nimis foret longum, ſed ut ſatis de utilitate Phoeniciarum coloniarum pateat, de praecipuis earum me eſſe locuturum.

Cy-

Cyprus, Tyro proxima, in qua antiquisſimis iam temporibus praecipuas colonias condidisſe Tyrii videntur, et quâ cum ad tempora usque Alexandri Magni multa habuerunt commercia, maxima ſua fertilitate, multa praeſtabat, eâque nulli alii inſulae cedebat, teste Strabone: *κατ' ἀρετὴν δ'* inquit (86) *οὐδεμιᾶς τῶν νήσων λείπεται· καὶ γὰρ εὔοινός ἐστι, καὶ εὐέλαιος· σίτῳ τε αὐτάρκει χρῆται. μέταλλά τε χαλκοῦ ἐςὶν ἄφθονα τὰ ἐν Ταμασσῷ.* Erathostenes ait, antiquitus magnam ibi fuisſe ligni copiam, deinceps vero inſulanos arbores caeſisſe, ut aes argentumque e terra haurirent, et cuique liberum fuisſe, arbores quot vellet et posſet ex agri ſcindere, quodque exſtirpatis ſilvis purgasſet, id proprium posſideret (87). Praeterea multum cannabis (88) et ferri (89), navibus exſtruendis commodisſimi, in ea inveniebatur.

Creta autem quam Phoenicibus aliisque in eam advenientibus populis proficere potuit. Antiquisſimis iam temporibus fertilitate ſua et cultu nullis non fuit cognita populis. Plurimarum et maximarum rerum, quibus communis homi-

(86) Strabo XIV, p. 1003.
(87) Apud *eundem ibid.*
(88) Curtius X. 1.
(89) Plinius XIII. 20.

minum vita fublevari atque adiuvari posfet, Cretae inventores nuncupantur (90). Aeris ac ferri conflandi rationem docebant ceteros, postquam eius naturam in Berecyntho monte indagarant (91). Cretae autem infulae fitum ad expeditiones per totum orbem peropportunam fuisfe, et tradunt fcriptores (92), et neminem oculos in tabulam Geographicam coniicientem fugere potest. Quamobrem non immerito huius infulae virtutes ad coelum quafi laudibus extollit Homerus, ubi canit:

Κρήτη τις γαῖ᾽ ἐςὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ,
Καλὴ καὶ πίειρα, περίῤῥυτος· ἐν δ᾽ ἄνθρωποι
Πολλοί, ἀπειρέσιοι καὶ ἐννήκοντα πόληες (93).

Inter infulas maris Aegaei nulla fuisfe videtur, quae tantae Phoenicibus esfet utilitati, quam Thafus, quippe quae infigni metallorum copia abundabat, unde ei aureae (*χρυσέη*) cognomen (94). Herodoti etiam tempore fupererant metalla, qui ea ipfe vidit, et notat, mirificam eorum abundantiam Phoenices ex ea haufisfe (95). Vi-

(90) Diod. sic. V. 64.
(91) *Idem. ibid.*
(92) *Idem.* I, pag. 263.
(93) Homerus *Odysf.* XIX vs. 172 feq. Cf. strabo X, pag. 735.
(94) Eustathius ad Dionys. *Perieg.* v. 517.
(95) Herod. VI. 47.

Videamus iam de Phoenicum coloniis in utriusque ora et insulis maris Interni sitis, per quod in primis eorum tendebant navigatio et mercatura, principesque erant conditae coloniae.

Nulli alii veteris orbis regioni, tot tantaque egregia dona, larga manu tribuerat benigna natura, quam Hispaniae, nullaque hinc alia tanta divitiarum fama a veteribus celebrata est, sive eius metallorum copiam, sive alius generis eius fertilitatem spectemus. Illis vero maximopere praestabat. Strabo testatur sua aetate nullibi terrarum, aurum, argentum, aes aut ferrum tanta copia ac bonitate fuisse comperta quam in Hispania (96). Multae scriptorum narrationes huc pertinent. Fama ferebat aurum ibi non effodi modo, sed et flumina et torrentes auro permixtam arenam volvere. Diodorus Siculus historiam narrat, quae si vera est, Phoenicum ambitiosum animum, a mercatoribus sane non alienum, egregie prodit; eo scilicet quaestus studio eos provectos fuisse, ut, cum, navibus iam argento refertis, multum adhuc huius metalli superesset, plumbo in ancoris exciso, argento eius usum explevisse, atque propterea eos, his divitiis allectos, colonias in Iberiam numero plures misisse, inque in-

(96) Strabo III. p. 216.

infulas, in quas in itineris ad illas oras curfu, veniebant (97). Celebris praeterea fuit propter ftannum, quod ibi magna copia effodiebatur (98). Haec et alia metalla, quae in Hispania inveniebantur, etiam memorat Ezechiel, ita enim Tyrum alloquitur: » Tharfis tecum mercatu- » ram exercebat, propter omnis generis rerum » multitudinem, argenti, ferri, ftanni et plum- » bi" (99).

Multa autem contulerunt, ut Phoenices ex his maximas utilitates non posfent non percipere. Scilicet, illa metalla, non omnia, ut nunc fere fit, magna cum opera ex altitudine et penetralibus foli effodiebantur, fed etiam in fuperficie terrae inveniebantur; qua nimirum incendio inusta, magnam argenti copiam ex ea exfudabant novi advenae (100). Quod etiam de ftanno tradidisfe nonnullos historicos ex Pofidonio notaverunt Strabo (101) et Diodorus (102), licet hic eius nomen non nuncupaverit. Praeterea Phoenices primi omnium gentium, in hasce oras venisfe videntur, et foli per longam

(97) Diod. sic. V. 35.
(98) Diod. sic. V. 38. Strabo III. pag. 219.
(99) Ezechiel XXVII. 12. —
(100) Diod. sic. V. 35.
(101) Strabo III. p. 219.
(102) Diodorus V. 38.

gam annorum ſeriem hoc Hispaniae proventu uti poterant, ſoli per totum orbem omnia illa metalla variis gentibus, distribuebant et tanto ſtudio curabant, ut harum divitiarum fontes ceteros populos laterent, ut quamquam iis utebantur, etiam posterioribus temporibus ignorarent, unde illa omnia Phoenices hauſerint. Denique non magno ſumtu hanc exercebant mercaturam. Permutatione enim, uti plerumque apud antiquos populos, illa fiebat. In Hispaniam igitur venientes, merces apud ſe non magni pretii ſecum portabant; quas tamen Iberi magni faciebant, easque cum egregiis illis metallis permutabant, quorum initio ipſi Iberi pretium ignorabant; neque iusto pretio aeſtimare ea prius incipiebant, quam intellexisſent, quantopere Phoenices ea posſidere ſtuderent.

Praeterquam metallis, ſoli etiam fertilitate Hispania Phoenicibus utilisſima fuit colonia, quapropter haec non minus ac illa eos alliciebat. Tota enim Hispania maxima frugum copia praeſtabat; in primis vero Turditania, cuius quidem ſingulare fuit, quod et metallis et frugibus abundabat, cum ceterae regiones alterutris tantum fertiles esſent. Ita enim Strabo: *Σπανίον δὲ*, ait, *ἐν ἀμφοτέροις εὐτυχεῖν· σπανίον δε, καὶ τὶ τὴν ἀυτὴν ἐν ὀλίγῳ χωρίῳ παντοίοις πληθόνειν μετάλλοις. Ἡ δε Τουρδιτανία καὶ ἡ προσεχὴς αὐτη, λόγον οὐδένα ἄξιον καταλείπει περὶ τὴνδε*

τὴν

τὴν ἀρετὴν τοῖς ἐπαινεῖν βουλομένοις (103). In Turditania autem multum fuit frumenti, vini ac olei et quidem optimi (104). Praeterea cera, mel, pix, coccus et minium, tum ingens pecoris copia et venandi materia, perniciofis autem bestiis, nonnullis exceptis, caruit. Strabo testatur, fua aetate, abundantiam eorum, quae ex Turditania exportabantur, navium et magnitudinem et multidudinem indicare (105).

Columnae autem Herculis Phoenicum itinerum non fuerunt limites, fed Hispaniae coloniae in primis navigationi per Oceanum opportunitatem praebuerunt, eique egregie profuerunt, adeo ut a Gadibus novum quafi inftituerent itineris curfum. Haec autem navigatio in primis vergebat in Casfiterides infulas, in quibus magna erat ftanni et plumbi copia, et in quas antiquis temporibus foli Phoenices negotiatum navi-

(103) Strabo III. p. 216.

(104) Strabo III. p. 212 feq. Unde et fequentia haufi.

(105) Eadem fere de Hispaniae fertilitate Iustinus XLIV. 1. „Sic ut minor utraque terra (Africâ et Galliâ:) ita utra„que fertilior..... in omnia frugum genera fecunda est; „adeo ut non ipfis tantum incolis, verum etiam Italiae, ur„bique Romanae, cunctarum rerum abundantium fufficiat. „Hinc enim non frumenti tantum magna copia est, fed et „equorum pernices greges, nec fummae tantum terrae lau„danda bona, verum et abftrufiorum metallorum felices di„vitiae. Iam lini, fpartique vis ingens miniique certe nulla „feracior terra."

vigabant (106), maximaque cura hoc iter ceteras gentes celabant, quod non nisi diu post Romanis innotuit (107); ita ut Phoenicum navigatio ad Brittanniam usque eique adiacentes insulas propagaretur. Hanc enim metallorum illorum sedem fuisse indicat Strabo dicens, ex Brittannicis ea Massiliam afferri (108). Quod, licet non de Phoenicibus, sed de Romanis, adeoque de posterioribus temporibus est intelligendum, ut ex ipso Strabone potest effici (109), et confirmatur Diodori narratione, qui notat, hoc iter fuisse factum non per mare, sed per Galliam, et ad illud triginta dierum spatium fuisse adhibitum (110); tamen ex ipsis illis satis constat, has insulas easdem fuisse, ad quas Phoenices etiam appulerant, cum Strabo doceat, Romanos illuc eo studio venisse, ut scirent, unde illa hauserint Phoenices.

Praeterea illa Brittannia Cassiteridibus insulis adiacet, in quas Phoenices venisse satis constat, uti modo ex Strabone vidimus. Has enim quis alias fuisse dicet, quam quas nos appella-

(106) Strabo III. p. 265.
(107) Strabo l. l.
(108) Strabo III. pag. 219.
(119) Strabo III. pag. 265.
(110) Diod. sic. V. 22.

lamus Sorlingicas; cum idem Strabo dicat, eas ſitas fuisſe ſupra Luſitaniam. Ita enim eius locum intelligo: *γεννᾶσθαι δ' ἔν τε τοῖς ὑπὲρ τοὺς Λυσιτανοὺς βαρβάροις, καὶ ἐν ταῖς Καττιτερίσι νήσοις· καὶ ἐκ τῶν βρεττανικῶν δὲ εἰς τὴν Μασσαλίαν κομίζεσθαι.*

Niſi igitur Phoenices colonias in Hiſpania habuisſent, non facile illi navigationem potuisſent ſuscipere in inſulas istas, multo minus extra eas, in mare Balthicum, usque etiam ad Borusſiae oras, uti nonnulli, neque ſine omni veritatis ſpecie autumant; quin emporia habebant in Hispania, in quae itinera facientes venire posſent, et ſi res illud postularet, opes deponere, aut alia reliquo itineri necesſaria asſumere. Ita ut coloniae in Hispania cum utilitatibus, quas ex ſoli fertilitate Phoenicibus praeſtabant, tum vero eorum longinquiori navigationi egregie inſervirent. Posterioribus autem temporibus hae coloniae, in primis Gades, propter eandem cauſam, Carthaginienſibus adeo profuerunt.

Septemtrionalis Africae ora, meliori quidem olim ac nunc felicitate ſoli utebatur, in primis autem illa pars, quae Phoeniciis coloniis repleta erat. Byzacium a ſcriptoribus propter ſoli fertilitatem admodum celebrabatur (111). — Han-

(111) . . . . „Seu ſunt Byzacia cordi

„Ru-

Hannibal autem omnia frumenta militibus necessaria ex ipsa Africa petiit (112). Non tamen haec fertilitas Phoenicibus semper magnopere profuit, in primis cum deinceps civitates Africae non amplius essent liberae, sed Carthaginis nutui parere, eique gravia tributa pendere essent coactae.

Non minus nonnullae maris Interni insulae, a coloniis Phoenicum occupatae, fertilitate sua conspicuae fuerunt. Phoenicibus autem magis, quam Africa, profuisse videntur. Sardinia frugum ubertate celeberrima fuit tum antiquitus, tum etiam deinceps, cum Carthaginienses multum frumenti ex ea capiebant (113). Magna ibi metallorum copia, in primis argenti et gemmarum effodiebatur (114). Sicilia vero, et frumento abundabat, et vinetis olivetisque erat consita (115). Denique de his insulis idem animadvertere licet, quod de Hispanicis coloniis modo diximus, eas scilicet navigationi, quam Phoenices in Hispania exercebant, egregie inservi-

---

„Rura, magis centum Cereri fruticantia
„Culmis." SILIUS ITALICUS IX. vs. 209 seq. Cf. PLINIUS XVIII. 10.

(112) APPIANUS, *de Bell. Punic.* c. 33. 47. Ed. Schweigh.

(113) DIOD. SIC. IV. 29.

(114) HEEREN, *Ideën* II. 1 pag. 78 seq. ibique laud. AZUNI, *Histoire geograph. polit. et naturélle de la Sardaigne* II. p. 341.

(115) DIOD. SIC. XIII. 81.

viisſe, huiusque rei cauſa in primis a Phoenicibus fuisſe conditas; atque ita intelligendus videtur Thucydides, ubi dicit, colonias ab iis in Sicilia fuisſe conditas ἐμποϱίας ἕνεκεν.

Haec igitur omnia ſi animadvertamus, ſi harum regionum fertilitatem earumque felicem ſitum cogitemus, aliis argumentis non opus est, quibus ostendatur, quantopere coloniae Phoenicibus hisce omnibus profuerint. Quam ob rem Phoenicum conſilia in coloniis deducendis, eorumque prudentia in locis, ad haec conſilia aptis, eligendis merito laudanda. Cum vero deinceps Carthaginienſes in easdem fere regiones venirent, et Phoenicum, maiorum ſuorum, vestigia ſecuti, easdem utilitates perciperent, hic de illis dicere inutile fore existimo, quamobrem ad aliud commodum coloniarum Phoeniciarum nunc tranſeo.

Inter conſilia, propter quae a Phoenicibus coloniae non paucae deductae ſunt, ſecundo loco diximus, fuisſe, ut iis deductis civitas numero civium nimis ingenti liberaretur. Tales colonias, ſicut omnibus civitatibus, ita etiam Phoenicibus non tantum fuisſe utilisſimas, verum etiam necesſarias, nemo negaverit. Quaeque enim ſocietas civilis ſibi proponere debet, ut omnes ac ſinguli cives iura ſua habeant tuta; quibus ſublatis vana et inanis civitatis est idea. Huic autem propoſito ſatisfie-

fieri nequit, ubi nimis magnus civium est numerus; ſuperflua pars otio tempus terit, rebus ad vitam ſustentandum necesſariis caret, res novas molitur, totique civitati ferro et igno minitatur. His autem civibus in colonias deducendis, civitas et ſuis et colonorum prospicit commodis (116). Civitas enim ſuperfluenti civium multitudine, periculoſisſima infestaque illa, liberatur, cives emittit, qui in novis ſedibus patriae commodis et ſuis egregie inſervirent, quibusque colonias tutius quam peregrinis committit. Coloni autem in novas ſedes venientes, ibi inveniunt, quod in patria frustra diu quaeſiverant, ſatisque ſibi comparant unde vitam quaerant. Nec deſiderium patrii ſoli in perpetuum relicti eos occupat, cum mutato licet ſolo, iidem tamen eiusdem patriae maneant cives, iisdem legibus ac conſuetudinibus, eodem ſermone utentes; operoſo et agili vitae generi asſuescunt, boni et patriae et ſibimetipſis utiles evadunt cives, tandemque, ſi velint, in patriam redeunt, gloriantes ſe in coloniis diligentiae reliquisſe ſpecimina, patriaeque egregie fuisſe ſaluti. Haec autem coloniarum commoda Carthaginienſibus cum Phoenicibus erant communia.

(116) Eadem illa commoda, omnibus eiusmodi coloniis communia, agnovit Minucius apud DIONYSIUM *Ant. Rom.* VII. 28.

nia. Illi tamen praeterea ex coloniis commoda perceperunt, quae hi ex illis hausisse non videntur; animadverti enim, quamquam Carthaginienses ut Phoenices colonias emiserint, ut hae mercaturae et navigationi inservirent, illis tamen etiam consilium fuisse, ut regiones, in quibus colonias conderent, occuparent, et hinc colonias, eorum civitates non fuisse liberas, sed magis provinciarum habuisse formam. Ecce igitur praecipuum discrimen inter colonias Phoenicias et Carthaginiensium.

Porro si animadvertimus, Carthaginem, uti quaeque alia civitas, quae bellis et expeditionibus bellicis imperii fines propagare studet, divitiis maxime fuisse innixam, nemo mirabitur, omnes ei subiectas gentes ad illas contulisse, et tributa imperanti civitati pendere coactas fuisse. Tributa autem illa pro variis regionibus varia erant, cum plerumque ex proventu soli peterentur; sic Sardinia gemmas fere pependisse videtur (117). Una urbs Leptis quoque die talentum Carthagini dedit (118). Ex quibus apparet, colonias sive provincias, (apud Carthaginienses enim haec parum differunt) non solum tributa pependisse, sed, ne eos quidem, quibus communis cum Carthaginiensibus origo erat, ab iis fuisse im-

(117) Heeren *Ideen* II. 1. p. 155.
(118) Livius XXXIV. 62.

immunes. Divitiae, quas ex variis regionibus, ſive provincias, ſive colonias eas appelles, hauriebant, anſam iis dederunt, ut alia commoda, cum ex coloniis, tum etiam ab aliis gentibus peterent; ſcilicet egregiam iis tribuebant opportunitatem militum undique conducendorum. Exercitus enim eorum non ex ipſis Carthaginienſibus, ſed ex militibus peregrinis plerumque erant compoſiti. Qui autem ex Carthaginienſibus in exercitibus militabant, κατ᾽ ἐξοχὴν dicebantur, *Cohors ſacra* (119). In Carthaginienſium exercitibus erant Lybici populi, Carthaginienſibus ſubiecti (120), Hispani, Galli, Celtae, alii multi (121). Ex inſulis autem Balearibus funditores et iaculatores mercede conducebant (122). Polybius obſervat, Carthaginienſes exercitus ex variis gentibus ideo compoſuisſe, ut ſic per ſingulorum ſermonis varietatem, concurſui et tumultibus non daretur locus (123). Quan-

(119) DIOD. SIC. XVI. 80. Ibi autem videre est quam pauci Carthaginienſes, aliis in eorum exercitibus militantibus, fuerint numero.

(120) POLYB. I. p. 161, 196, III. p. 359.

(121) *Idem* I. 648, 39, 167.

(122) DIOD. SIC. XIX. 106, 109.

(123) POLYB. I. 167. — Ceterum de Carthaginienſium re militari, legi meretur HEERENIUS, qui, cum hanc rem ſingulari capite expoſuerit, eam accuratius perſecutus est. II. 1. pag. 254 ſq.

Quantopere autem coloniae Carthaginienſibus profuerint, tum ex hisce ſatis patet, tum eorum historia luculenter confirmatur. Nihil enim Carthago per ſe valuit, ſolis coloniis ac provinciis innixa fuit. Per eas in primis ad maximum ſplendoris fastigium pervenit. Deinceps vero primum Sardinia, tum aliis coloniis iis ereptis, magis magisque debilitabatur, et tandem Carthago, potentisſima quondam illa, occubuit: manifesto indicio, civitates licet maximis divitiis praeſtantes et ad maximum gloriae cumulum evectas, tamen, ſi divitiis ſolis magnitudo illa innixa ſit, necesſario corruere debere.

CAPUT SECUNDUM.

DE GRAECORUM COLONIIS.

Si verum est, quod nemo negaverit, leges et inſtituta, ſi bona ſint, ad civitatis ſplendorem et felicitatem multum afferre, ſin vero mala, illius ruinae interituique ſaepius anſam dare, Graecia profecto, exemplo ſuo illud egregie conrſimavit. Huius enim gentis annales volventes, quantos legimus exſtitisſe viros, qui ingenio ſuo et eruditione eam optimis inſtruerent legibus atque inſtitutis? Quantos, qui inſtituta maiorum ſustinerent, aut pro tempore mutarent, ingeniisque accommodarent? Quanta his incrementa Graiam gentem cepisſe? His autem legibus ac inſtitutis ad maximum felicitatis fastigium pervenit, unde nulla alia ei ſimilis aut ſecunda. At vero, deinceps viris, qui leges ac inſtituta curarent, deficientibus, cum Graecia Solones, Socrates, Platones, A-

ristoteles desiderabat, qui non Graecos solum, verum et alias gentes erudierant, his, inquam, deficientibus, antiquus ille Graeciae splendor diminutus est, et brevi plane evanuit, ipsaque Graecia, quae tantum olim erat nomine, denique in alius populi ditionem concessit. Inter optima autem Graecorum instituta princeps tenet locum illud, quo colonias deduxerunt, quibus multas terrarum partes repleverunt, nomenque Graecum adeo celebrarunt.

Tot autem undique colonias emiserunt, ut si earum numerum spectemus, nulla alia gens cum Graecis comparari possit. Operae pretium est audivisse Senecam, ingentem illarum numerum merito mirantem. » Quid sibi volunt," inquit, » in mediis barbarorum regionibus Graecae ur- » bes? Quid inter Indos Persasque Macedoni- » cus sermo? Scythia et totus ille ferarum in- » domitarumque gentium tractus civitates A- » chaiae Ponticis impositas littoribus ostentat. » Non perpetuae hiemis saevitia, non hominum » ingenia ad similitudinem coeli sui horrentia » transferentibus domus suas obstiterunt; totum » Italiae latus quod Inferiori mari alluitur ma- » ior Graecia fuit" (124).

De

(124) SENECA. *Cons. ad Helv.* c. 6. Graecas colonias enumerarunt, BARTHELEMIUS. *Voyage du jeune Anacharsis*, etc.

De Graecorum autem prudentia in coloniis condendis dicturus, illarum rationem a Phoeniciis coloniis diverſam animadverto. Hae enim cum in primis propter navigationem et mercaturam conderentur, iisque fere omnes originem deberent, Graeci contra non adeo magni fuerunt mercatores, ut quicquid in mercatura ſapuerint, illud in primis Phoenicibus debuisſe videantur. Nonnullas quidem propter mercaturam ſusceperunt expeditiones, in primis Athenienſes et Corinthii, hae tamen ſeriori plerumque erant ſusceptae aevo, non vero toto animo, uti Phoenices, ei operam navabant. Ex Herodoto efficere licet, quam parvam notitiam Graeci mercaturae et navigationis, cultiori etiam tempore habuerint (125). Hinc coloniae, quas deduxerunt, non adeo mercaturae et navigationis ſtudio, quam aliis minus felicibus cauſis tribuendae videntur. Obiter moneo, Graecos duo coloniarum genera distinxisſe, quarum alias ἀποικιας, (migrationes) dicebant, alias κλήρούχιας (colo-

etc. tom. X, tab. 4ta. ed. belgicae. D. H. HEGEWISCH. *Geographiſche und Historiſche Nachrichten die Colonieën der Griechen betreffend.* Altona 1808. RAOUL ROCHETTE. *Histoire critique de l' etablissement des colonies Grecques.* tom. 4, 8vo. Paris 1815.

(125) HEROD. VIII. 132. Cf. HUETUS. *Histoire du commerce et de la navigation des anciens.* c. 16.

lonias, in quas coloni *ſorte* deducebantur): utrarumque varia fuisſe videtur ratio. Hae fuerunt ſerioris aetatis, et magis ex auctoritate ipſius civitatis conditae, arctiorique vinculo cum ea coniunctae fuisſe videntur, quam illae, quae ad antiquora tempora magis pertinent (126).

Maioris momenti est distinctio coloniarum Graecarum, quae variae fuerunt, pro varia ſtirpe, a qua originem repetiverunt. Quis nescit Graecos antiquitus in duas ſtirpes fuisſe distinctos, in Pelasgos et Hellenes? Illi autem antiquiores erant, quod, cum ex eo confirmetur, quod Euſtathius eos diſerte appellavit *fontem Graecae gentis* (127), tum quod ſemper ſunt gloriati, ſeſe esſe *indigenas*. (*αὐτόχθονες.*) Athenienſes enim, qui magna ex parte Pelasgi erant (128), diſerte a Thucydide dicuntur eandem ſemper regionem tenuisſe (129). Ideo He-

---

(126) Cf. BARTHELEMIUS l. l. Notandum tamen Graecos ſcriptores hanc distinctionem non ſemper accurate obſervasſe. Cf. SUIDAS voce *κληρουχια*, et qui hanc distinctionem admodum improbat HEGEWISCH. l. l. tom. I, pag. 151 ſeq.

(127) EUSTATHIUS ad HOM. *Il.* II. vs. 827. *ἅς ἄνωθεν Ἕλλήνες.*

(128) HEROD. I. 56, VIII. 44.

(129) THUCYD. II. 36. *τὴν γὰρ χώραν ἀεὶ οἱ αὐτοὶ οἰκοῦντες.*

Herodotus Athenienſium ad Gelonem legatum ita loquentem facit: ἀρχαιότατον μὲν ἔθνος παρεχόμενοι μοῦνοι δὲ ἐόντες οὐ μετανάσται Ἑλλήνων (130).

Hellenum autem deinceps potestate identidem crescente, Pelasgi partim ex Graecia, alias ſedes quaeſituri, migrarunt; unde innumerae illae in multis regionibus huius gentis coloniae; partim in Graecia, praeſertim in Attica et Arcadia remanſerunt, ſeſeque deinde cum Hellenibus commiscuerunt. Hellenes vero, ab Hellene Deucalionis filio ita dictos (131), deinceps ſtirpem regnantem fuisſe, et in quatuor minores ſtirpes fuisſe diviſos, (Dores, Aeoles, Achaeos et Iones,) nimis est notum, quam ut plura hac de re proferam, illud ſolummodo indicaturus, colonias a ſingulis illis ſtirpibus deductas, eodem modo fuisſe distinctas, et hanc distinctionem etiam deinceps ſemper retinuisſe, ut ex earum lingua, moribus aliisque ſatis apparet.

§

(130) Herod. VII. 161.

(131) *Apollod.* I. 7, § 3. ed. Heynii αὐτος μὲν οὖν (Ἑλλὴν) ἀφ᾽ ἑαυτου τοὺς καλουμένους Γραικοὺς προςηγορεύσεν Ἑλλήνες.

§ 1.

De caufis, ob quas Graeci colonias emiferunt.

Sicut apud fingulos homines fuas quaeque aetas habet necesfitates, et pro varia ea, variis commodis indiget, idem apud gentes obtinet. In civitatibus recenter exortis inftituta videmus, quae civitatibus cultioribus ne dicam noxia, faltem inutilia plane forent. Hinc apud unam eandemque gentem, pro varietate temporis, varios animadvertimus mores, varia inftituta, et hinc varia confilia variamque prudentiam civilem, quod tum in omnibus ceteris negotiis, tum etiam in re, quam tractamus, confpicimus.

Antiquisfimis temporibus plura in Graecia colonias condi iusferunt, quae feriori aetate iis anfam dare amplius non poterant; et e contrario hac aetate, qua prudentia civilis magis excoli inceperat, plura confilia ingenium excogitabat, fecundum quae coloniae prudenter deducerentur, quae rudi aevo ne percipi quidem poterant.

Videbimus enim, antiquitus colonias fecundum alia, quam deinceps fuisfe deductas, confilia. Licet tamen hoc non eo valeat, ac fi nullum antiqui temporis fupermanferit vestigium, neque dein-

deinceps una alterave colonia fuerit deducta, secundum consilium antiquitus usurpatum. Ante omnia autem moneo, singulas colonias suas quidem habuisse causas, pro loco ac tempore quibus emittebantur, varias, Graecos tamen earum originem non minus religioni ac pietati erga Deos, quam prudentiae civili generatim tribuisse. Plura veterum effata hoc innuunt, atque altera paragraphus accuratius haec proponendi, aptam nobis praebebit occasionem. Egregie Celsus (132) monet, oracula Graeca totam terram coloniis crebro replevisse; cum, Cicerone teste, nullam Graeci deducerent coloniam, non consulto oraculo (133). Atque hoc iam antiquitus moris fuisse, apparet ex illarum coloniarum genere, quarum deducendarum consilium nunc primum exponam.

Si autem parvum Graeciae ambitum et angustos, quibus ea inclusa fuerit limitibus, animadvertamus; dein, si cogitemus insignem multarum diversarum gentium identidem advenientium turbam, porro, si pro veris habeamus, quae de prima Graecorum barbarie a scriptoribus praedicantur, cum apud illos agricultura et mercatu-

(132) Apud ORIGINEM VII. § 3. *Op.* tom. I, p. 695. Parisiis 1733.

(133) CICERO *de divin.* I. 1.

tura mediocriter tantum excolerentur, quid miremur, antiquam Graeciam, eodem, quo Phoenices, malo saepius laborasse, et eodem fere consilio usam fuisse? Cum enim Graeci per nimium incolarum numerum penuria saepius premerentur, eorum partem aliquam, atque in primis iuventutem, ex patria migrare inque aliis orbis terrarum regionibus sedes figere iusserunt, victus copiam quaesituram (134). Hanc autem iuventutem, *ver sacrum* dictam, Deo cuidam consacratam, peractis ante sacris solemnibus, ac faustis omnibus, parentes cum colonia emiserunt. Atque ita egerunt, quoties terrae proventus nimio incolarum numero non sufficeret (135). Posterioribus etiam temporibus huius generis coloniarum exstant exempla. Ita tempore Periclis Sybaritae, cum Athenas venissent, ut de Crotoniatis quererentur et contra eos auxilium peterent, Pericles quidem colonia deducta iis morem gerebat, verum tamen hu-

---

(134) De hoc more ita testatur LIBANIUS *in argum. Orat. Demosth.* *περὶ τῶν ἐν χεῤῥονήσῳ*: *Ἔθος δὲ ἦν τοῦτο παλαιὸν τοῖς Ἀθηναιοῖς, ὅσοι πένητες ἦσαν αὐτῶν καὶ ἀκτήμονες οἴκοι, τούτους πέμπειν ἐκοίκους, εἰς τὰς ἔξω πόλεις τὰς ἑαυτῶν.*

(135) Idem apud Aborigines aliasque antiquas gentes locum habuisse, auctor est DIONYSIUS HALICARNASSENSIS, *Ant. Rom.* I. 16, II. 1. Cf. STRABO V. pag. 383.

huius coloniae confilium erat, ut Athenae incolarum multitudine liberarentur, quae nimis magna erat, et otium fequens tum civitatis tranquillitati tum confiliis Periclis periculofa fortasfis esfet (136). Anno etiam tertio Olymp. 89 *ver facrum* in coloniam fuisfe misfum, arguit exemplum coloniae Lacedaemoniorum Heracleam deductae, quod exftat apud Eufebium (137). Talem morem antiquisfimis temporibus, quibus civitates Graecae recenter fuerant exortae, locum habuisfe, minus est quod miremur, quam huius deinceps etiam inveniri exempla, » cum in civitatibus bene ordinatis tot exquifitiora confilia et artificiofi modi fustentandae plebis excogitari posfint, modo animi hominum ad hanc folertiam et fagacitatem acuantur" (138).

Saepius etiam evenit, ut crimine convicti, five principes illi esfent five cives, ad hoc crimen expiandum patriam relinquere cogerentur (139). Hi autem multos faepius fecum duce-

---

(136) PLUTARCH. *de reip. ger. praec.* tom. II, p. 812.

(137) EUSEBII *Chron.* p. 123. ed. *Burdegalae.* 1604. De hac colonia cf. THUCYD. III. 92. DIOD. SIC. XII. 59 et STRABO IX. pag. 655.

(138) Sunt verba HEYNII *Opusc. Acad.* I, p. 296.

(139) EURIPID. *in Oreste.* vs. 513.

cebant, amicitia, fidelitate aliove vinculo sibi devinctos, atque sic in aliis terrarum regionibus colonias condiderunt. Ita Achaeus homicidio commisso Atticam reliquisse, seseque coloniae praeposuisse et civitatem in Peloponneso condidisse fertur (140). Eidem rei colonia Ephesiorum Eleam profecta originem debuisse videtur (141). Tales autem coloniae, quae fere privata alicuius auctoritate proficiscebantur, quantopere differant ab iis, quae deinceps ipsa civitate auctore deducebantur, ex iis, quae infra dicturi sumus, satis apparebit.

Ad colonias privata auctoritate deductas eae quoque referendae sunt, quae a principibus, seditione aliave ex causa patria expulsis, erant deductae. Ita Salmoneus ex Aeolide cum magna Aeolum copia profectus, (fortasse propter seditionem, licet illud ex scriptoribus certo effici nequeat) in Elidem venit, ibique urbem sui nominis Salmoneam condidit (142). Haec autem colonia alii eiusdem generis originem dedit. Aetolus scilicet secundum Ephorum (143) a Salmo-

(140) STRABO VIII. p. 588.
(141) De hac colonia vid. RAOUL ROCHETTE Op. cit. tom. III, p. 140.
(142) STRABO VIII, p. 545. DIOD. SIC. VI. 68.
(143) EPHORUS apud STRABONEM VIII. p. 547.

moneo Elea eiectus in Aetoliam abiit, ibique urbes condidit. Sic etiam Amphilochus, ex bello Troiano redux, urbem patriam Argos tyrannide Aegisthi oppresſam inveniens, cum ſuis coloniam condidit, Argos Amphilochum dictam (144). Et eodem fere tempore Philoctetes, exorta ſeditione, urbe patria Meliboea profugus (145) in Italiam venit, ibique multas condidit urbes. Strabo ſaltem testatur Petiliam et Cremoſam ab eo ibi fuisſe conditas (146), et Iustinus notat, Thurinorum urbem Philoctetem conditorem habuisſe, ibique ſua etiam aetate huius monumentum exſtitisſe (147). Alii vero ſcriptores huic coloniae aliam cauſam tribuunt (148). Hae autem coloniae, quae, licet a principe quodam conditae fuerint, tamen, quia non ipſa quadam civitate iubente profectae erant, proprie privatae erant, quaeque, cum totus ſaepius populus patriam relinqueret, potius *emigrationes* quam *coloniae* ſunt dicendae, hae, inquam, ad antiquiora fere tempora, ante bellum Troianum

(144) THUCYD. II. 68. APOLLOD. III. 7, § 5, et HECATAEUS apud STRABONEM VI, p. 417.
(145) STRABO VI, p. 390.
(146) *Idem.* l. l. cf. VIRGILIUS *Aen.* III vs. 402.
(147) IUSTINUS XX. 1.
(148) *Scholiastes* ad THUCYD. I. 12. *Schol.* ad LYCOPHRON. vs. 909.

num praesertim et brevi post illud, pertinent; quo tempore Graeciae populi nondum certas omnes habebant sedes, atque adeo singuli singulos saepius sedibus expellebant suis. Quamquam etiam seriori aevo huius generis coloniarum inveniantur exempla. Nam, ut hoc utar, Lacedaemoniorum nonnulli, Lycurgi legum severitatem moleste ferentes et ab aliis secedentes, saeculo nono ante Ch. patria excesserunt, et in Italiam venerunt, cumque Sabinis habitarunt (149).

Aliae praeterea fuerunt Graecae coloniae, quae originem privatae personae, aut si civitati, extraneae saltem deberent. Huc Phocaeorum coloniam ad Hellespontum conditam refero. Phobus quidam Phocaeus, ex genere Codri, ad regem Bebrycum cum Mandrone quum venisset, et egregia in eum contulisset beneficia, hic, ut gratum ei obtestaretur animum, illi permisit, ut coloniam in suis terris conderet; tum ille coloniam in has regiones deduxit (150). Coloniarum, in quibus deducendis nullae metropolis, immo saepissime ne ipsorum quidem colonorum fuerunt partes, plura possent adduci exempla, uti v. c. Milesiorum nonnullorum, quibus a caede conservatis et ad regem Darium Susam per-

(149) Dion. hal. II. 49.
(150) Plutarch. *de virt. mul. Lamps.* tom. II. p. 255.

perductis, urbs Ampe ad mare Rubrum habitanda fuit data (151), aliorumque (152); nisi mallem nunc propius accedere ad colonias publica ipsarum Graecarum civitatum auctoritate deductas. Ante autem quam eo veniam, teneatur, apud Graecas quasdam etiam colonias fuisse conditas a principibus, expeditionibus praepositis, aut ad alias colonias condendas emissis, cum hi in regionibus, ad quas appellerent, nonnullos colonos relinquerent. Sic expeditionem illam celebrem Argonauticam multis coloniis originem dedisse, non immerito suspicari licet; in primis cum nos doceat Strabo, circa Sinopen eiusque oram maritimam, Propontidem, Hellespontum usque ad Lemnum, tum etiam usque ad Cretam, Andriam atque Italiam, multa Phrixi et Iasonis expeditionum indicia supermansisse (153). Ita bellum Troianum multis etiam coloniis condendis ansam dedit. Multi enim ex hoc bello reduces domus et patriam ab aliis occupatas inve-

(151) HERODOT. VI. 20.

(152) Ita Messenii, qui antea Ithomen tenuerant, post bellum Messeniacum tertium, eam relinquere coacti ab Atheniensibus Naupacten habitandam acceperunt. THUC. I. 103. DIOD. SIC. XII. 44. Lacedaemonii contra Aeginitis, ab Atheniensibus insula sua expulsis, Thyraeas ad incolendum concesserunt. THUC. II. 27. DIODORUS l. l.

(153) STRABO I, p. 77 seq.

venerunt; alii, per multorum annorum ſpatium errantis vitae generi asſueti, longinquas expeditiones ſuscipere, quam in patriam redire maluerunt, in primis cum per hoc bellum navigandi artem melius didicisſent. Alii, omni ſtudio patriam quaerentes, nec tamen eam invenientes, multisque iactati tempestatibus, Diis gratiam referebant, quod ad regiones appulisſent, quas tuto posſent tenere. Hinc Strabo dixit, eos, qui ex bello Troiano venerant, per totum orbem terrarum vagatos, urbesque ab his plurimas per omnem, quae extra Graeciam est, oram maritimam conditas esſe (154).

Cum autem Iones ex Peloponneſo a Doribus pulſi, comitantibus nonnullis aliis Graeciae populis, ducibus Codri filiis, in Aſiam minorem migrarent (155); nonnullos per hocce iter in quibus-

(154) STRABO I, p. 83. Cf. THUCYDIDES I. 12.

(155) VELLEIUS PATERCULUS, *Hist. Rom.* I. 4. „Sub„ſequenti tempore, inquit, magna vis Graecae iuventutis, „abundantia virium, ſedes quaeſitans, in Aſiam ſe effudit. „*Nam et Iones, duce Ione profecti Athenis, nobilisſimam par„tem regionis maritimae Aſiae occupaverunt, quae hodieque ap„pellatur Ionia, urbesque conſtitutae Epheſus.* cet." Plerique interpretes hunc locum ita intellexerunt, quaſi VELLEIUS, celeberrimae istius in Aſiam migrationis Ionem ducem fuisſe tradiderit, atque hinc variis modis locum tentarunt, ut ceterorum ſcriptorum traditionibus contrarium, qui Neleum ceterosque Codri filios huius coloniae duces fuisſe „ſcrip-

busdam insulis colonos relinquebant duces, quod indicare videtur Velleius Paterculus, ubi dicit, Iones multas in Aegaeo et Icario mari occupasse insulas: Neleus autem, ante suum in Asiam adventum, colonos in insula Naxo reliquisse traditur ab Aeliano (156).

Coloniarum, duce et auspice civitate, adeoque publica auctoritate deductarum, varia erant con-

scripserunt. Vide PAUSANIAM *in Achaicis* pag. 390. ed. Xylandri. STRABONEM XIV. p. 938. cf. VIII. p. 588. HERODOTUM IX. 97. cf. I. 142 seq. AELIANUM, *Var. Hist.* VIII. 5. PLUTARCHUM in libello *de exsilio*. SUIDAM in voce *Ἰωνία*. HARPOCRATION. in voce *Ἐρυθραῖοι*. Duplicem coloniam Ionicam, alteram duce Ione in Peloponnesum, alteram a Neleo ceterisque Codri filiis in Asiam deductam, turpiter a Velleio confundi LIPSIUS contendit. SIMSONIUS, *in Chron.* ad A. M. 2948, pro *duce Ione* legere mavult: *duce non uno*. BURMANNUS mutavit: *Iones, duce olim Ione, profecti Athenas.* Neutrum admittendum arbitror, quum huic historia obstet, illud a Velleiano stilo sit alienum. Illustr. LARCHERUS suspicatur, duas fuisse profectas colonias, atque priorem duce Ione Xuthi filio. Vid. *Chron. Herod.* p. 426. Hoc tradunt VITRUVIUS *de Architect.* IV. 1. et NICANDER *Alexipharm.* vs. 9. qui tamen solum auctorem secuti videntur EURIPIDEM in *Ione*. vs. 74, Ionem appellantem *κτίστορα Ἀσιάδος χθονός*. Alii aliter. Velleii tamen locum mendo carere puto, neque cum aliorum traditionibus pugnare, si quidem ita intelligatur: *Iones, qui antea, duce Ione, Athenis profecti fuerant in Peloponnesum, eosdem deinceps Asiae Minoris oras occupasse, ibique urbes constituisse.*

(156) AELIANUS *Var. Hist.* VIII. 5.

confilia, tum pro varia civitate, a qua emissae tum pro varietate locorum, in quos deductae erant.

Antiquis et recentioribus temporibus gentes, quarum ditionis limites nondum satis essent instructi adversus barbarorum aut hostium incursiones, his saepius fuerunt expositi. Tales autem barbarorum, in primis Thracum et Cimmeriorum, invasiones antiquitus iam saepius Graeci perpessi erant. Quas ut averterent, neque perpetuo iis essent expositi, ea qua erant prudentia perspiciebant, nulla magis alia re obicem iis posse poni, quam coloniis in horum finibus condendis. Inde longa illa coloniarum series, quibus utraque Ponti Euxini et Asiae Minoris, in primis septemtrionalis ora erat referta. Hoc consilio Athenienses, duce Miltiade Cypseli filio, iubente Pythia, coloniam deduxerunt in Thraciam contra Absinthios (157). Idem consilium deinceps ulterius persecutus est Pericles, qui saepius in regiones, ab hostibus devictas, colonias misit; coloniarum saltem, quas in Chersonesum et Thraciam, in Bisaltarum sedes deduxit (158), non alia erat ratio. Hoc Graecorum consilium innuit Marcus Tullius Cicero: » Asiae" inquit » maritimam oram bello supe-

» ra-

(157) Herod. VI. 34—36. Nepos *in Meltiade* c. 1.
(158) Plutarch. *vit. Periclis*.

» ratam cinxit (Graecia) urbibus, non ut mu-
» nitam coloniis illam augeret, ſed ut obſesſam
» teneret" (159). Ab hoc coloniarum genere non multum differunt coloniae, quarum deducendarum conſilium Athenienſibus in primis fuisſe, ait Iſocrates, ut Graecia magis magisque amplificaretur (160). Tales autem coloniae ad posteriora maxime tempora, quae bella Perſica ſecuta ſunt, pertinent, cum Graeci per illa bella, ſuas ipſi vires noscere, iisque pro ſuo commodo uti dedicerant.

Peculiare etiam conſilium coloniae deducendae Graecis fuit, ut ſuas ipſius colonias antea emisſas, vincula autem, quae inter eas et metropoles obtinerent, rumpentes, in officio retinerent. Huiusmodi coloniae exemplum affert Herodotus, quae prima huius generis fuisſe videtur. Cum enim Chalcidenſes Cleomeni, bellum Athenienſibus inferenti, auxilium tulisſent, hi deinceps in Euboeam venerunt, huius rei vindictam ſumturi, utque impedirent, ne quid illi in posterum mali molirentur, quater mille in Euboea reliquerunt colonos (161).

Bellorum fata ſaepisſime in cauſa fuerunt, ut to-

(159) Cicero *pro Flacco.* c. 27.
(160) Isocrates *Paneg.* c. 9.
(161) Herod. V. 77.

totus quidam populus in alias regiones tanquam colonia migrare cogeretur. Hnc pertinet migratio Aeolica. Aeoles, ab Heraclidis, in Peloponnesum reducibus, sedibus expulsi, ducibus filiis Pelopis, in Asiam minorem venerunt, et occuparunt Mysiae et Cariae partem, quae deinceps Aeolis ab iis dicta est (162).

Eorumdem Heraclidarum in Peloponnesum reditus emigrationis quidem Ionum in Asiam minorem causa fuit, sed remotior; cui plures aliae accedebant. Ionibus scilicet ab Achaeis Peloponneso expulsis, et ab Atheniensibus exceptis, Atticae amplitudo atque fertilitas ingenti huic advenarum numero non sufficiebant. Accedebat, quod, mortuo Codro, dissensiones orirentur inter eius filios de iure patri succedendi, quae, cum primum privatim agitarentur, deinceps in turbas civiles exarserunt, populumque in factiones diviserunt, altero contra alterum arma ferente; cui utrique malo ut mederetur, civitas constituit, ut Neleus aliique Codri filii cum superflua illa Ionum multitudine in Asiam minorem proficiscerentur, ibique colonias conderent (163). Haec emigratio maxima sine dubio fuit, quam unquam viderit Graecia. Multi

(162) Strabo XIII, p. 872 seq.
(163) Vide auctores supra laudatos not. 155.

ti enim alii populi vario, confilio variaque fpe allecti, eius participes fuerunt.

Quamquam Graeci mercaturae non adeo ftuduerint, ut omnia ei accommodarent, deinceps tamen Athenienfes in primis et Corinthii nonnullas, mercaturae inferviendi gratia, colonias deduxerunt. Cum enim tractu temporis mercaturae maiorem navarent operam, egregias utilitates ex illis proventuras esfe non folum, verum et eas omnino esfe necesfarias, eos fugere haud poterat, in primis cum exemplum Phoenicum iis in promptu esfet. Corinthus, cuius fi felicem in Isthmo fitum fpectemus, iam mature latam potuisfet exercere mercaturam et navigationem, tempore in primis Periandri, qui Olymp. 38. 1°. regnare incepit (164), mercaturae celebritatis famam nacta videtur, atque eo praefertim regnante, plurimae coloniae propter mercaturam ab ea conditae videntur (165). Quo tempore Athenienfes hoc confilio colonias deducere inceperint, certo quidem determinare non posfum; crediderim tamen, illud ad posteriora tempora esfe referendum. Ex Thucydide enim videre est, ante bella Perfica eorum naves non adeo

(164) Euseb. *Chron.* p. 109.
(165) Plutarch. *de fera num. vind.* tom. II, p. 552.

adeo magnas, nec bene inftructas fuisfe; Xenophontis tamen tempore eorum mercatura et navigatio multum roboris acceperat: immo hic de Athenis loquitur, tanquam de urbe maximam mercaturam exercente, omnibusque ad eam necesfariis inftructa (166).

Si autem traditionibus fidem habeamus, ftatuere licet, inter colonias in Afia minori fuisfe, quae ipfas metropoles, fi de mercatura et navigatione est fermo, fuperarent, usque adeo quidem, ut pleraeque coloniae hoc fere confilio ab his coloniis fint deductae, cum e contrario ipfius Graeciae civitates eas magis propter civiles rationes deducerent. Una Miletus, celeberrima illa, tum mercatura fua longe lateque patente, tum divitiis egregiis, innumerabiles colonias condidit, eo in primis confilio, ut mercaturae infervirent, eamque latius propagarent. Septuaginta quinque eius colonias memorat Seneca (167). Plinius vero octoginta eam habuisfe ait (168); pleraeque ad Pontum Euxinum fuerunt fitae (169), quem, fecundum Strabonem, tum etiam Propontidem aliaque loca coloniis Mile-

(166) XENOPHON *de proventib.* cf. Proclidis five Patroclis Phliafii oratio apud *eundem*, *Hellenic.* VII. init.
(167) SENECA *confol. ad Helv.* c. 6.
(168) PLINIUS H. N. V. 30.
(169) STRABO XIII, p. 881 feq.

lesii frequentaverant (170), quarumque nonnullas enumerat Anaximines Lampsacenus (171). Hinc Ammianus Marcellinus testatur, colonias Graecorum ad Pontum Euxinum, paucis tantum exceptis, Milesiorum fuisse (172).

Non quidem omnes indicavi causas, ob quas Graeci colonias emiserunt. Fuerunt enim coloniae, quarum deducendarum ratio nulli, quas indicavi, causarum, esset tribuenda; ita, ut hoc utar, nonnullae deducebantur propter pestem in patria saevientem, quam timentes, plures familiae patriam relinquebant, alias sedes quaesiturae; aliaeque causae plures. Tales autem causae tam variae sunt, ut eas omnes enumerare longum esset: magis etiam inquirere mihi proposui, propter quae consilia civitas colonias condi decreverit, quidve sibi, iis condendis, proposuerit, quam quidem singulas omnium causas indicare, quae singularibus semper quibusdam rebus et factis sunt tribuendae; licet tamen illas omnes non omnino silentio praetereundas esse duxerim.

Coloniarum ab Alexandro Magno, Graecis libertate orbatis, deductarum alia omnino ra-

---

(170) STRABO XIV, p. 941 cf. OVID. *Trist.* III. 9. vs. 1 seq.
(171) Apud STABONEM ibid.
(172) AMM. MARCELL. XXII. 8.

ratio fuit. Nam tametſi coloniae Graecae deducerentur, ſive privata ſive publica auctoritate, ipſorum tamen colonorum accedebat voluntas, et condebantur ſecundum conſilia, quae ſibi aut civitas, aut privati quidam propoſuerant: et licet a privatis emitterentur, auſpice tamen fere ipſa civitate proficiscebantur, religionisque in iis deducendis maxima habebatur ratio. Contra coloniae post pugnam ad Chaeroneam conditae, cum unius Alexandri arbitrio deducerentur, ex iis despotica eius imperii forma egregie elucescit, et ſi earum condendarum animadvertamus conſilia, quantopere differant a coloniis proprie Graecis, magis apparet; illae enim non propter civiles cauſas condebantur, ſed militares fere erant, ſive, ut veterani, quos ſenilis aetas amplius arma ferre non ſinebat, eas tenerent; ſive, ut in eas mitterentur, qui gentes devictas cohiberent; aliquatenus igitur eas comparare licet cum illo coloniarum genere, quod ſeriori tempore apud Romanos introduxit Sylla.

Alterum discrimen inter colonias Graecas et Alexandri Magni in eo conſpicitur, quod in his populorum in eas mittendorum ratio habebatur non adeo magna, ita ut in una colonia multifarias animadverteres gentes, ſibi ſaepe omnes ignotas. Illae vero ex ſolis Graecis non tantum compoſitae erant, ſed ſuas quaeque

ſtirps

ſtirps colonias habebat, Aeoles, Iones et Dores, uti ſupra ſignificavimus (173).

§ 2.

De modo Graecarum coloniarum deducendarum.

Supra iam monui, religionis in coloniis deducendis maximas fuisſe partes. Colonia enim decreta, Delphicum aut Dodoneum oraculum conſulebatur, quo deducenda esſet colonia, de via, quae ſequenda esſet, deque ducibus coloniae deducendae praeficiendis (174). Egregium huius rei exemplum est colonia ab Athenienſibus in Thraciam deducta, ſuadenta Pythia. Dolonci, (quo tempore Athenis ſumma fuit penes Piſiſtratum potestas) Cherſoneſum tenentes, a vicinis Abſinthiis presſi, legatos Delphos miſerunt, qui oraculum conſulerent; quibus respondit Pythia, eum coloniae conditorem in hanc regionem ſecum ducerent, qui ipſos

(173) De coloniis Graecorum ab Alexandri Magni inde tempore. vid. D. H. HEGEWISCH *uber die Griechiſchen colonieën ſeit Alexander dem Grösſen.* Altona 1811.

(174) Leges, in primis quae ad res Divinas ſpectarent, Delphis, a colonias condituris petendas esſe, praecipit PLATO, *de Legib.* pag. 759. ed. Serrani.

ipſos, postquam templo egresſi esſent, primus hospitio exciperet. Quod quum fecisſet Miltiades Cypſeli filius, extemplo oraculo conſulto: an faceret, quod eum Dolonci rogasſent; asſumtisque nonnullis ex Athenienſibus ſociis, una cum Doloncis profectus est, quorum deinde princeps est creatus (175). Ita oraculo conſulto Parii in Thaſum coloniam deduxerunt (176). Phocaei, Masſiliam conditum profecti, ab oraculo iubebantur, navigationis ducem a Diana Epheſia accipere (177). Non difficile foret, plura hic apponere exempla, cum apud ſcriptores nullius fere coloniae, non conſulto oraculo conditae, facta ſit mentio. Quam conſtans hic mos conſulendi oraculi apud Graecos fuerit, inde patet, quod Herodotus, de colonia loquens, Dorieo duce, iràto, quia in regia dignitate alium ſibi praelatum videbat, deducta, ſilentio non praeterire poterat, eam fuisſe deductam oraculo non conſulto: *οὔτε*, inquit, *τῷ ἐν Δελφοῖσι χρηστηρίῳ χρησάμενος, ἐς ἥντινα γῆν κτίσων ἴῃ, οὔτε ποιήσας οὐδὲν τῶν νομιζομένων* (178).

Im-

(175) Herod. VI. 34—36.
(176) Stephan. *de urbib.* voce *Παρίον* et *Πάρος*.
(177) Strabo IV. p. 271.
(178) Herod. V. 42.

Immo non numquam ipſum oraculum coloniam deduci iubebat, cuius rei exemplum profert Iustinus: »Cyrene autem," inquit (179), »condita fuit ab Aristaeo, cui nomen Batto »propter linguae obligationem fuit. Huius pa»ter Grinus, rex Therae inſulae, cum ad ora»culum Delphos, propter dedecus adolescentis »filii nondum loquentis, Deum deprecaturus »venisſet, reſponſum accepit, quo iubebatur »filius eius Battus *Africam petere et urbem* »*Cyrenen condere, uſum linguae ibi acceptu*»*rus*" (180).

Patet igitur, tantam curam Graecos poſuisſe in condendis coloniis, quantam cum rei pondere atque momento convenire perſpiciebant; adeo ut, quamvis colonia esſet decreta, eam non temere tamen deducerent, inconſulto oraculo, cum iis perſuaſisſimum esſet, coloniam hoc modo deductam feliciori fato non esſe uſuram

(179) IUSTINUS XIII. 7. cf. HERODOTUS IV. 155 ſeq.

(180) Ideo in primis hoc exemplum appoſui, quod ſcriptor recentior, (HEGEWISCH l. l. p. 141.) oraculum in condendis coloniis, ut in ceteris alicuius momenti rebus, conſuluisſe quidem Graecos affirmavit, ipſum vero oraculum coloniam deduci iusſisſe negavit, atque ideo Barthelemium reprehendit, qui inter ceteras coloniarum condendarum cauſas, *oraculorum* etiam *iusſum* retulerat; quamobrem huius generis coloniae exemplum ſe admodum deſiderare dixit, cui deſiderio, hoc exemplo laudato, me ſatisfecisſe mihi videor.

ram; cum e contrario nulla non bona fibi pollicerentur ex colonia, oraculi iusfu deducta. Quod etiam indicat Iulianus Imperator, dicens, colonias, Apollinis iusfu deductas, maximam terrae partem humaniorem reddidisfe (181).

Qui coloniae deducendae praeesfet, ab oraculo fere creabatur, five eum, a civitate iam cre-

(181) IULIANUS Imp. Orat. IV. — Graecos in coloniis deducendis Apollinis oraculum prae ceteris fecutos fuisfe, exemplum Doriei, cuius modo memini, egregie docet. Hic, rebus in Africa infeliciter gestis, eiectus tertio anno a Macis, Libybus et Carthaginienfibus, in Peloponnefum redux, cum Antichares ex Laii oraculo ei confilium dedisfet, ut Heracleam conderet, Delphos tamen profectus, Pythiam adiit, quaerens: *εἰ αἱρέει ἐπ᾽ ἣν στέλλεται χώρην*, et accepto refponfo, ipfum potiturum, cum clasfe et multitudine hominum abiit. HERODOTUS V. 42 feq.

Rebus urgentibus, per privatorum aut magistratuum ftudia, eorum commodis fuadentibus, ut colonia deduceretur, Pythiam fe corrumpi faepius pasfam fuisfe, credere licet. Satis enim conftat, eam, ut faustum oraculum petentibus ederet, dona non femel accepisfe. Sic Alcmaeonidae, Athenis profugi, Delphis morantes, Pythiae pecunia perfuafe- runt, ut quoties cives Spartani oraculum confulturi venirent, conftanter illos moneret, ut Athenas liberarent. HEROD. V. 63. Hanc fraudem a Lacedaemoniis compertam fuisfe tradit *idem*, V. 90. Clisthenes apud *eundem* V. 66. dicitur, *ὅσπερ δὴ λόγον ἔχει τὴν Πυθίην ἀναπεῖσαι.* Et Cobon Cleomeni conciliatus *Περίαλλαν τὴν πρόμαντιν ἀναπείθει, τὰ Κλεομένης ἐβούλετο λέγεσθαι, λέγειν*· qua fraude detecta, Cobon Delphis aufugit, mulier vero fatidica *ἐπαύσθη τῆς τιμῆς.* Vide HERODOTUM VI. 66.

creatum, oraculum confirmaret (182), five etiam ducem ipfum defignaret (183). Plures faepius unius coloniae duces fuerunt. Ita v. c. coloniam Ionicam in Afiam minorem Neleus ceterique Codri filii deduxerunt. Omnibus tamen his unus praefuisfe videtur (184).

Neque levis honos habebatur ab oraculo coloniae ducem fuisfe creatum, tantaque quidem erga duces fuit reverentia, ut coloniae eos heroum inftar honore profequerentur, et, postquam vita excesfisfent, in Divorum numerum collocarent, multisque faeculis post iis tribuerent honores, adeo ut monumenta iis erigerent, facra facerent, urbem conditoris nomine infignirent aut nummos eius nomine infcriberent (185).

Qui coloniae deducendae participes esfe fibi propofuerant, tabulae cuidam, quae *ἀποικια* dice-

(182) Exemplum est apud HERODOTUM V. 43.

(183) Exemplum de Miltiade est apud *eundem* VI. 34—36. Cf. NEPOS in *Miltiade*. c. 1. Hinc forfitan repetendum est, quod nonnunquam colonia non ab eiusdem civitatis duce, fed ab extero deducebatur; cuius rei exempla funt apud PAUSANIAM VII. pag. 398.

(184) Cf. WESSELINGIUM ad DIODORUM SIC. XII. 10.

(185) HERODOTUS VI. 38. Exemplum Tenis Tenedi conditoris est apud CICERONEM N. D. III. 15. *in Verrem*, I. 19. DIOD. SIC. V. 83. Timefiae apud HEROD. I. 168, Autolici apud STRABONEM XII. pag. 822. Therae apud PAUSANIAM III. p. 160, VII. p. 398. Brafidae apud THUCYDIDEM V. 11. cf. laudati a DUKERO. ad eum l.

cebatur, nomina dabant (186). His ἀποίκιοις (187) conditiones, ſecundum quas colonia deduceretur, iuris vinculum ac neceſſitudo, quae inter coloniam et metropolin intercederet, aliaque continebantur (188). Coloniae autem non ſolum ex ipſis civibus conſtabant, ſed ſaepius alii Graeci coloniae participes asſumebantur; cum praecones per Graeciam mitterentur, qui edicerent, quemvis huius illiusve coloniae participem esſe posſe (189).

Coloniarum ſocii armis, commeatu, omnibusque itineri ad novam regionem necesſariis de publico inſtruebantur (190). In novam regionem postquam venisſent, agrum ſortiebantur, cuius alia pars ipſi civitati tribuebatur, alia ipſis colonis, ut in ea domos aedificarent (191).

Non

---

(186) HARPOCRATION in voce ἀποίκια.

(187) τὰ ἀποίκια enim dicuntur, ſubaudito γράμματα, non vero ἡ ἀποίκια. Vide HEYNII *Opusc. Acad.* vol. I, p. 324.

(188) Vide HEYNIUM l. l.

(189) Exempla ſunt numero plura. Vide inter alia DIOD. SIC. XI. 70, XII. 10, XII. 59. THUC. I. 27. PAUSAN. VII, pag. 398.

(190) LIBANIUS *argum. orat. Demosth.* περὶ τῶν ἐν χεῤῥονήσῳ.

(191) Exempla vid. apud DIODORUM IV. 29, XI. 60, XI. 70, XI. 76. et pasſim; nam ad quamcumque coloniam illud pertinuit.

Non magnopere laudandae, ne damnandae dicam, erant rationes, quibus Graeci colonias fere condiderunt. Coloni enim, relicta patria, non ſemper ad oras minus habitatas appellebant, ſed ſaepius veteres incolas ſedibus expellebant, crudeliterque in eos ſaeviebant. Aſiae minoris ora, princeps Graecarum coloniarum regio, heu nimis ſaepe haec experta eſt. Neleus cum Ionibus, Mileto occupata, eius incolas Cares ac Leleges (192) magna ex parte exterminavit (193), eorumque regiones, ut deinceps item Dores, occuparunt (194). Androclus eiusdem emigrationis Ionicae alius dux, Cares et Leleges aliosque, qui Epheſum tenebant, urbe eiecit: felices illi, qui circa Dianae templum habitabant, quibusque fati quadam felicitate licuit, post initum cum Ionibus foedus, ibi permanere (195); quod evenit Caribus Tei, quibus cum Graecis convenit, ut regionem cum Athenienſibus ac Boeotiis, novis advenis, dividerent (196).

Coloniae igitur, quamquam ſumma, ſcilicet! religione, et auſpiciis ipſorum Deorum emiſſae, apud

(192) STRABO XIV. p. 938.
(193) PAUSAN. VII. p. 399.
(194) STRABO XIV. p. 976.
(195) *Idem.* XIV. p. 948.
(196) PAUSAN. *ibid.*

apud Graecos tamen multarum ſaevitiarum et iniuriarum macula fuerunt notatae (197).

§ 3.

De modo, quo Graecorum coloniae fuerunt inſtructae, deque earum cum metropoli necesſitudine.

Necesſitudo inter Graecas colonias earumque metropoles omnibus aetatibus non eadem ſemper fuit. Quoties enim priscis temporibus aliqua populi pars, propter res novas aliasque minus feliciores cauſas, patria relicta, in coloniam discesſisſet, ſine ulla civitatis lege, aut ſaepius invita ipſa civitate, quo pacto de iuris necesſitudine inter tales colonias et metropolin cogitari poterat? In eiusmodi enim colonos, loca nova occupantes, vasto ſaepius interiecto mari, omne ius atque auctoritatem civitas amittebat. Aliquod quidem manebat vinculum, quale inter populares fere esſe ſolet, communis originis memoria, cum mores et conſue-

(197) Vere dixit SANCTO-CRUCIUS, *de l'état et du sort des colon. Grecq.* p. 213: „L'origine des colonies a donc „offert de tous les tems des spectacles de cruauté et de „barbarie."

ſuetudines, maiorum inſtituta, ſermonem patrium, alia, ſecum portarent coloni. At vero de iuris aliquo vinculo nequaquam illis temporibus cogitari poterat. Tales igitur coloni in novis regionibus novus quaſi fiebat populus, penes quem antiquae patriae, nil niſi memoria remanebat.

Alia tamen fuit coloniarum, ipſa civitate auctore deductarum, conditio ac ratio. Eiusmodi enim arcta cum metropoli manebant devinctae necesſitudine, idemque populus. Quamquam tamen, ut hoc obiter moneam, antiquioribus huius generis coloniis cum metropoli necesſitudo non tanta fuit, quanta iis, quae deinceps a civitatibus deductae ſunt. Ratio est, quod, antiquis temporibus leges ac conditiones, ſecundum quas coloniae emittebantur, aut nullae fere, aut ſaltem imperfectae fuerunt, et tractu demum temporis in melius aliquantum converti coeperunt. Cum autem nostra disputatio in primis ad colonias ab ipſa civitate deductas pertineat, age videamus, quaenam earum fuerit conditio ac ratio erga metropolin.

Quod de Phoenicum coloniis animadverti, idem valet de Graecorum, eas ſcilicet, ad exemplum metropolis fuisſe inſtitutas; quod autem hic in primis in cenſum venit, iisdem utebantur ſacris ac religionum ceremoniis.

Colonia decreta, eius ſocii ſecum ducebant

 pa-

patriam religionem patriaque facra, hoc est figna Deorum patriorum, inftrumenta vafaque facra; quod autem ad Athenienfes in primis fpectat, ignem facrum ex ara in penetralibus urbis five prytaneo accenfum, fecum fumebant. Hunc morem innuere videtur Herodotus, ubi de emigratione Ionum ita figuratim loquitur: *ἀπὸ τοῦ πρυτανηΐου τοῦ Ἀθηναίων ὁρμηθέντες* (198). Hunc morem tantummodo a colonis, recenter ex patria profectis, obfervatum fuisfe verius mihi videtur, quam, uti nonnullis viris doctis (199) placuit, moris fuisfe, ut, fi quando ignis iste facer in colonia infelici cafu exftinctus esfet, in prytaneo metropolis tantum accendi posfet. Nam haec opinio tum auctoritate unius lexicographi (200) nititur, tum vero neque cum principiis religionis Graecorum convenire videtur, uti vult Ill. Raoul Rochettus, neque confirmatur loco laudato Herodoti, uti tum ille, tum Bougainvillius pu-

(198) HEROD. I. 146.

(199) DE BOUGAINVILLE, *disfert*, qua refpondetur ad quaeftionem ab Acad. Reg. Infcript. et Litt. Hum. anno 1745. propofitam: „qu' els etoient les droits des metropoles Grec„ques envers leurs colonies et des colonies envers leurs me„tropoles" pag. 3, 4. RAOUL ROCHETTE, *Op. laud.* tom. I, p. 40. — Hanc fententiam etiam tuetur doct. BRAND l. l. *disfert. laud.* pag. 91 feq.

(200) ETYMOL. MAGN. V. *πρυτανεῖα.*

putat; qui locus de colonia ex patria proficiscente narrat tantum, ubi loquendi formula utitur Herodotus, mori, hac occasione usitato, conveniente. Si autem animadvertamus, quantopere Graeci Deos et res divinas venerarentur, eos omnia ad religionem pertinentia secum duxisse, ipsamque religionem retinuisse, non est quod in dubium vocemus (201). Phocaei, condita Massilia, cultum Dianae Ephesiae in hanc coloniam introducebant, inque reliquis Ionum coloniis omnibus primo loco haec Dea colebatur, et ad imitationem Ephesi, simulacrum Deae reliquique ritus instituebantur (202). Quid? adeo generalis hic mos fuit, ut alicuius populi origo a scriptoribus saepissime ex communi religione, ritibus ac caeremoniis probaretur. Polybius, Iovem Agrigenti eodem atque apud Rhodios modo fuisse dictum et cultum significans, hoc iure fieri animadvertit, cum Agrigentum Rhodiorum esset colonia (203) Teneatos et Tenedi incolas eiusdem fuisse originis, ex eo probat Strabo, quod ambo Apollini sacra eodem modo faciebant (204). Et

---

(201) PAUSAN. VII. 2.
(202) STRABO IV. pag. 271.
(203) POLYB. IX. 21. Scilicet condita est a Gelois, Rhodi colonis. THUC. VI. 4.
(204) STRABO VIII. p. 584.

Et Dionyſius Hal., ritus in nonnullis Italiae urbibus ſimiles inveniens iis, qui in Iunonis templo Argis obſervabantur, illas Argivorum colonias fuisſe inde conficit (205). Hinc igitur Graecorum Dii in tot variis regionibus, longisſime etiam a Graecia disſitis, iisdem nominibus, iisdemque ritibus culti fuerunt.

Quod ad regiminis formam attinet, eadem colonia ac metropolis utebatur; ex eo derivandum, quod patrias leges ſecum in colonias ducerent. In inſulis Cycladibus, colonia Atheniensium, Atticae regiminis forma locum habuit (206). Apud Thucydidem legimus, Notium, Ioniae urbem, ſecundum leges Atticas fuisſe conditam (207). Idem affirmat, Gelam, Doricam coloniam, legibus Doricis uſam fuisſe, et Geloos, Agrigento condita, huius urbis incolis ſuas dedisſe leges (208). Denique Masſilienſes, origine Phocaei, adeoque Iones, legibus utebantur Ionicis (209). Quantam vim haec *ἰσονομία* in colonorum mores, linguam, res civiles, inſtituta, omnia alia habuerit, perſpicuum est. Illa om-

(205) Dion. hal. *Ant. Rom.* I. 21.
(206) Isocrates *Panathen.* pag. 241.
(207) Thucyd. III. 34. *κατὰ τοὺς ἑαυτῶν νόμους κατῴκισαν τὸ Νότιον.*
(208) *Idem.* VI. 4.
(209) Strabo IV. 271.

omnia tamen pro temporis ac loci ratione deinceps fuisſe mutata, et ad ingenia hominum accommodata, facile intelligitur, licet in coloniis metropoleos vestigia etiam deinceps deprehenderis. Quid? inſignis illa ſimilitudo efficit, ut eandem fere civitatem, cum omnibus ſuis rebus in aliam regionem transportatam, cernere tibi videaris. Ita Iones, cum in Peloponneſo duodecim tenuisſent urbes, in Aſia minore etiam totidem habitabant (210); omnes illae foedere erant iunctae, omnesque Neptuno Heliconio ſacra faciebant, cuius Dei cultus apud eos manſerat, postquam ab Achaeis ſedibus fuerant expulſi (211), cuiusque cognomen, templique formam ab Helice Achaiae urbe petiverant (212). In hoc templum (213) a duodecim istis urbibus, iisque ſolis, ſtatutis temporibus mittebantur legati (*πρόβουλοι*), qui in eo Panionia celebrarent atque de rebus Ionum communibus conſultarent (214). Locus, quo illud Panionium erat

---

(210) Herod. I. 142.
(211) Pausan. VII. pag. 445.
(212) Strabo VIII. p. 590.
(213) *Πανιώνιον* dicebatur. herod. I. 142 ſeq. et 148. cf. wesselingius ad diodorum XV. 48.
(214) Strabo VIII. p. 589. Herod. I. 170, VI. 7. ibique wesselingius et valckenarius, qui docet, de duodecim Ioniae civitatibus foederatis octo tantum ad illud commune gen

erat, ſacer dicebatur, tum propter reverentiam, tum quia illud omnibus Ionibus erat commune. » Ibi est Panionium," inquit Pomponius (215), » ſacra regio, et ob id eo nomine appellata, quod » eum communiter Iones colunt." Non alia igitur Panionia apud Iones erant atque Panathenaea apud Athenienſes, quamobrem a ſcriptoribus ſaepius aequiparantur (216). Praeter Iovis templum, Iones etiam, communibus ſumtibus, templum Dianae Epheſi exſtruxerant, quo item conveniebant, ſacrificia facturi et negotiorum mercatusque cauſa, atque ubi certamina equestria, gymnica et muſica, celebrabantur; quibus peractis, ſi quae disſenſio inter civitates esſet exorta, iudices ſedentes de ea cognoscebant, aut de bello contra barbaros gerendo et mutua concordia conſultabant (217).

Si autem eveniret, ut quae deduceretur colonia ex pluribus conſtaret populis (218), ex variis

gentis concilium ſuos legatos miſisſe, de rebus ſummis conſulturos, quum Perſae adverſus Miletum reliquamque Ioniam proficiscebantur, quia totidem tantum memorantur VI. 8.

(215) POMP. MELA I. 7. cf. PLINIUS V. 29.

(216) EUSTATH. ad HOM. Il. II. pag. 473.

(217) DIONYS. HAL. IV. 25.

(218) Hoc ſaepius locum habuisſe, colonia Ionica aliaque arguunt exempla. Sic coloniam decies mille hominum Athenienſes Amphipolin miſerunt, partim ex civibus, partim ex ſo-

riis Graeciae regionibus profectis, moribus, legibus, ceteris diverſis, tum iura coloniae in urbe nova conditae distribuebantur, his nomen, illis iura reive publicae formam tribuentibus, unde ſua quaeque metropolis in hac colonia haberet iura.

Ex hac coloniarum et metropoleos ſimilitudine intelligi potest, vinculum, quod ab initio esſet, ſupermanere deinceps potuisſe. Quamvis igitur aliqua populi pars locum mutaverat, haec tamen non novus fiebat populus, ſed, ut Plato ait, manebat *γένος ὁμόφωνον καὶ ὁμόνόμον* in duabus regionibus distinctum (219); illudque re ipſa tum metropolis tum colonia comprobabat, cum erga ſeſe invicem quaſi idem populus esſent. Veluti, generalis moris erat, ut colonia quotannis legatos ad metropolin mitteret, Diis patriis ſacra facturos. Hunc morem non a nonnullis, ſed ab omnibus colo-

ſociis. DIOD. SIC. XI. 70. Cum Athenienſes coloniam ad Sybaritas mitterent, multi alii eius participes erant. DIOD. SIC. XII. 10. Thurii disſedisſe dicuntur, cuius potisſimum civitatis colonia ipſorum esſet dicenda, quum et Athenienſes, et Peloponneſii ei nomen dedisſent, ita quidem ut hac de re oraculum Delphicum conſultum ſit. DIOD. SIC. XII. 35. Et Antiphemus e Rhodo et Entimus ex Creta, ſuam uterque coloniam Gelam ducentes, communiter eam condiderunt. THUCYDIDES VI. 4.

(219) PLATO *de Legibus*, lib. IV, p. 708. ed Serrani.

loniis obſervatum fuisſe, ex multis apparet; ita ut, quae hunc morem ſprevisſet colonia, omnino notaretur. Egregie hoc confirmatur a Diodoro Siculo, qui Corinthios Corcyraeis infenſos fuisſe ait, propterea quod hi ſoli fuisſent, qui hunc morem non obſervasſent (220). Metropolis vero legatos in coloniam mittebat, ut eius ſacris interesſent ſolemnibus; illis autem coloni maximos tribuebant honores; legati enim victimae molam ſalſam adſpergebant, libationem ſacram faciebant, principesque iis locus (*προεδρία*) in ludis et primitiae dabantur. Atque cauſam, propter quam Corinthii Corcyraeos odio proſecuti fuisſe dicuntur, hanc affert Thucydides, quod hi hunc morem neglexisſent (221). Im-

---

(220) DIOD. SIC. XII. 30. *διὰ τὸ μόνους τῶν ἀποικῶν μὴ πέμπειν τὰ κατειθισμένα ἱερεῖα τῇ μητροπόλει.* De hoc more cf. POLYBIUS *Exerpt. Legat.* c. 114. Eundem morem a Carthaginienſibus obſervatum fuisſe ſupra vidimus ex CURTIO IV. 2.

(221) THUCYD. I. 25. *οὔτε γὰρ ἐν πανεγύρεσι ταῖς κοιναῖς διδόντες γέρα τὰ νομιζόμενα, οὔτε Κορινθίῳ ἀνδρὶ προκαταρχόμενοι τῶν ἱερῶν, ὥςπερ αἱ ἄλλαι ἀποικίαι.* Hic locus ab interpretibus valde est vexatus; difficultatem autem in primis praebent: *γέρα τὰ νομιζόμενα ἐν πανεγύρεσι ταῖς κοιναῖς*, quod Scholiastes explicat: *τὰς τιμὰς καὶ προεδρίας*, et: *προκαταρχόμενοι τῶν ἱερῶν*, quod idem Scholiastes interpretatur: *διδόντες τὰς κα-*
ταρ-

Immo Scholiastes ad Thucydidem docet, moris fuisse, ut coloniae pontifices maximos ex metropoli arcesserent: ἔθος γὰρ ἦν, inquit, ἀρχιερέας ἐκ τῆς μητροπόλεως λαμβάνειν. Hoc quidem nonnumquam evenit. Ita Massilienses a Phocaeis sacerdotem acceperunt (122); eiusdemque rei de Colophone exstat exemplum (123). Cum vero haec sola sint, quod sciam, huius rei exempla, et cum a nullo alio, nisi a Scholiaste, hic mos tradatur, eum generalem et ab omnibus coloniis observatum fuisse, affirmare non auderem (224). Alia

---

ἀπαρχάς. Ad hunc locum collustrandum egregiam operam contulit HEYNIUS *Opusc. Acad.* I, p. 325. in nota. Locum ita intelligo, ut γέρα τὰ νομιζόμενα generatim denotent omnes honores, etiam eos, de quibus DIODORUS loquitur l. c. XII. 30. προκαταρχόμενοι autem τῶν ἱερῶν solummodo significet principem in consessu locum. Nam si prius etiam προεδρίας significaret, ut illud explicat Scholiastes, bis idem THUCYDIDES dixisset. Alii aliter.

(222) Uti patet ex inscriptione, quam SPONIUS conservavit.

(223) TACITUS *Ann.* II. 54.

(224) Aliam viam inivit doct. BRAND l. l. p. 122. qui duobus hisce exemplis contentus, et solius Scholiastae auctoritate fretus, hanc consuetudinem ad omnes civitates pertinuisse existimat; in primis etiam ducto argumento ex silentio scriptorum, quum nihil magis probabile, nihil magis conveniens sit, quam scriptores, id quod verum et communi more institutum sit, silentio praeterire, atque tacere de iis, quae consueta sunt omnibusque accepta. Bene quidem; saepe ita res est: ne tamen temere ex illo silentio argumentum ducatur; prae-

Alia accesſerunt, quibus necesſitudo inter colonias et metropoles permanere optime posſet, quae hic referre operae est pretium. Coloniarum ſcilicet Graecarum legati ludis Olympiacis intererant, ut ex multis Pindari carminibus efficere licet; quod quantopere ad animorum convenientiam valuerit, perſpicuum est. Coloniarum etiam nonnullae ad concilium Amphyctionum legatos miſerunt; ibique, ut ipſae metropoles, de communibus omnium rebus ac commodis deliberabant. Nonnullae ſcilicet ab Aeſchine diſerte inter huius concilii ſocios nuncupantur (225). Lacedaemoniorum coloni una cum illis Carnea celebrarunt (226). Athenienſes vero et coloni *Ἀπατούρια* communiter egerunt (227). Co-

praeſertim cum iidem ſcriptores res, de quibus earum ipſa natura ne dubitare quidem ſinit, ſaepius narrent. Nam, ut hoc utar, quid magis congruum, quam quod ſingulis colonis, postquam in novam regionem advenisſent, ſuis quaeque agri pars asſignaretur? et tamen huius rei ſexcenties meminerunt ſcriptores. Vide ſupra pag. 84, not. 191. Iam vero, ſi univerſi iuris fuisſet, ut colonia pontificem maximum a metropoli acciperet, quidni, praeter Scholiasten, ceteri auctores huius meminisſent, praeſertim cum maximi momenti res esſet, ad arctam necesſitudinem deſignandam omnino faciens?

(225) AESCHINES *de falſa legat.* III, pag. 285. ed. Reiskii.

(226) Vide SCHOLIASTEN ad THEOCR. Eid. V. vs. 83. VALCKENARIUM et LARCHERUM ad HEROD. VII. 206.

(227) HEROD. I. 147.

Colonia vero, coloniam ipſa deductura, ducem, qui huic praeesſet, a metropoli fere petebat. Exemplum praebent Corcyraei, qui, cum decrevisſent coloniam Epidamnum deducere, Corinthium Phalium, Eratoclidae filium, arcesſiverunt a metropoli (228). Thucydidis locus, ex quo hoc exemplum petivi, clasſicus est, ideo, quod in eo docetur, illud non unicum huius rei exemplum apud Graecos fuisſe, ſed ab antiquis inde temporibus hunc morem locum habuisſe; etenim hic dux *κατὰ τὸν παλαιὸν νόμον ἐκ τῆς μετροπόλεως κατακληθείς*. — Hinc repetendum est, quod inter coloniam coloniae et huius metropolin etiam aliqua necesſitudo intercedebat, cum haec item coloniae a colonia emisſae conditrix et metropolis haberetur (229). Hinc colonia, a colonia emisſa, huius metropoleos mores, inſtituta, leges, cet. accipiebat (230); hinc me-

(228) THUCYDIDES I. 24.

(229) Sic Corinthii Epidamni *οἰκισταί* dicuntur a THUCYDIDE I. 25.

(230) Doct. BRAND l. l. pag. 157. ſcribit: „Metropolin non *omnino* eandem (ſcilicet in coloniam a colonia „deductam) quam in ipſam coloniam habuisſe auctoritatem, primum inde patet, quod Geloi, Rhodi et „Cretae coloni, Agrigentum in Sicilia, deducta colonia, „condiderunt, non *κατὰ τὰ νόμιμα Δωρικὰ*, non *κατὰ* „*τὰ πάτρια*, ſed *νόμιμα τὰ Γελώων δόντες*." Do-

ctri-

metropolis auctoritatem, non quidem tantam, quantam ipſa colonia, aliquam certe habebat, atque officia quaedam huic coloniae praeſtabat; ut iidem Corinthii, qui Epidamniis auxilium promiſerunt *κατὰ τὸ δίκαιον*: quod ipſe Thucydides explicat: *νομίζοντες οὐχ ἧσσον ἑαυτῶν εἶναι τὴν ἀποικίαν ἢ Κερκυραίων* (231).

Quod ſi haec arctam inter colonias et metropolin necesſitudinem oſtendant, eo magis haec ex officiis, quae ſibi invicem praeſtiterunt, intelligitur.

Primum coloniarum officium, erat arma contra metropolin non tantum non ferre, immo vero huic auxilio adesſe, cum eam bellis implicitam aut gravi calamitate affectam viderent. Quamobrem coloniae ſociorum ordine plerumque cenſentur. Huius officii memor, Artabanus Xerxi ſuaſit, ne Iones adverſus Graecos duceret; *ἢ γὰρ*, in-

ctrina vera est, exemplum tamen vitio laborat. Nam omnino *κατὰ τὰ νόμιμα Δωρικὰ*, omnino *κατὰ τὰ πάτρια* Agrigentum condiderunt. Etenim *νόμιμα τὰ Γελώων* dederunt; atqui haec Dorica erant, ſi quidem THUCYDIDES VI. 4 tradat, Gelam, cum esſet condita, Dorica iura accepisſe. Huc etiam pertinet, quod notat POLYBIUS IX. 21, Iovem Agrigenti Rhodiorum more cultum atque appellatum fuisſe, cum tamen Agrigentum non Rhodi, ſed Gelae, coloniae ex Rhodo propagatae, colonia esſet.

(231) THUCYDIDES I. 25.

inquit, σφέας, ἤν, ἕπονται, δεῖ ἀδικωτάτους γίνεσθαι καταδουλουμένους τὴν μητρόπολιν, ἢ δικαιοτάτους συνελευθεροῦντας (232). Ob eandem caufam Themistocles ad Iones fcripfit: οὐ ποιέετε δίκαια ἐπὶ τοὺς πατέρας στρατευόμενοι, καὶ τὴν Ἑλλάδα καταδουλούμενοι· ἀλλὰ μάλιςα μὲν πρὸς ἡμέων γίνεσθε, ... μεμνημένοι ὅτι ἀπ᾽ ἡμέων γεγόνατε (233). In bello Peloponnefiaco, Athenienfes et Lacedaemonii a fuis ambo coloniis auxilia acceperunt (234). Quamquam eodem in hoc bello Meliis maxima mala minitarentur Athenienfes, illi tamen fibi perfuaderi non passi funt, ut pro his contra Lacedaemonios arma fumerent. Μηλίους, inquiunt, ἀποίκους ὄντας, μὴ βούλεσθαι προδόντας, τοῖς μὲν εὔνοις τῶν Ἑλλήνων ἀπίςους καταςῆναι (235). Coloni denique Athenienfium cum his expeditionem in Siciliam fusceperunt (236). Pietas et religio laefae videbantur, fi qua colonia hoc officium negle-

(232) Herodotus VII. 51.

(233) Herodotus VIII. 22.

(234) Thucyd. II. 9.

(235) Thucydides V. 106. Melii autem Lacedaemoniorum erant coloni. Thuc. V. 84. Herodotus VIII. 48. Plutarchus *de virtut. mulier.* in loco de Tyrrhenis. Conon *Narrat.* 36.

(236) Thucyd. VII. 57. ubi alia multa inveniuntur huius officii exempla.

glexisſet, quaeque in adverſa acie pugnasſet, ea iuxta atque ii, qui contra communi origine oriundos arma tulisſent, impium et nefarium ſcelus committere dicebatur. Quamquam coloni haec officia nonnunquam transgresſi ſunt. Chalcidenſes, Athenienſium coloni, Cleomeni Spartanorum regi, Athenienſibus arma inferenti, opem tulerunt, quamobrem nova colonia in Euboeam deducta (237). Quum Xerxes Graecis bellum inferebat, Ionum nonnulli his opem non ſolum non tulerunt, ſed etiam, lucri percipiendi ſpe allecti, cum Perſarum rege contra Graecos militarunt (238). Corinthiorum legati quo magis coram Athenienſibus patefacerent iustas ſuas esſe de Corcyraeis querelas, eo in primis orationem inſtituerunt, ut indicarent, Corcyraeos, quamvis Corinthiorum esſent coloni, tamen et antea et tunc etiam bellum ſibi inferre (239).

Foedera inire cum populis, qui metropoli ad-

---

(237) Herodot. V. 74.

(238) Herodotus VIII. 10.

(239) Thucydides I. 38. *ἄποικοι δ' ὄντες ἀφιςᾶσί τε διαπαντὸς, καὶ νῦν πολεμοῦσι. κ. τ. λ.* Eiusdem generis multa exempla ſunt apud *eundem* VII. 57. Ubi tamen multae coloniae necesſitate coactae fuisſe dicuntur, ut in adverſa acie pugnarent.

adversi essent, nefas habebatur (240). Quantas vero calamitates inter Graecas civitates ex male observato hoc instituto exortas fuisse accepimus? Quid? Bellum Peloponnesiacum, tanto sanguine gestum, nonne erupit post ictum inter Athenienses et Corcyraeos foedus? Ex Corinthiorum legatorum verbis patet, ab omnibus Graecis civitatibus nefas fuisse habitum, si colonia, invita metropoli, cum alia civitate foedus iniisset. Nam Corcyraeorum in ipsos impietate, ut aiebant, manifestata, cum ab Atheniensibus petiissent, ne Corcyraeorum precibus indulgerent, addunt se ea dixisse, quae cum legibus Graecorum atque institutis omnino convenirent (241).

Metropoleos vero erat coloniis in omnibus succurrere, earum tutelam suscipere, curam agere, eas contra hostes defendere. Hinc Aristagoras, Mileti tyrannus, Asiae minoris civitatibus, a Persis oppressis, libertatem conciliare studens, cum in Graeciam venerat, Cleomenem Spartanorum regem sic allocutus est: *νῦν ὦν, πρὸς θεῶν τῶν Ἑλληνίων, ῥύσασθε Ἴωνας ἐκ δουλοσύνης, ἄνδρας ὁμαί-*

---

(240) Cum iis tamen populis, quibus cum metropoli nullae simultates intercedebant, foedera inire, coloniis licuisse, ex Potidaeatarum Corinthi colonorum exemplo manifestum est. Quippe qui Atheniensium *ξύμμαχοι φόρου ὑποτελεῖς* THUCYDIDI I. 56. dicuntur.

(241) THUCYDIDES I. 41.

ὁμαίμονας (242). — Eiusdem generis verba fecit in Athenienſium concione: *ὡς οἱ Μιλήσιοι τῶν Ἀθηναίων εἰσὶ ἄποικοι, καὶ οἰκός σφεας εἴη ῥύεσθαι δυναμένους μέγα* (243). Ionicae civitates, quum *ἡγεμονία* penes Spartanos erat, propter Pauſaniae inſolentiam ſeſe ad Athenienſes applicuerunt, et *ἠξίουν αὐτοὺς ἡγεμόνας σφῶν γενέσθαι κατὰ τὸ ξυγγενές* (244). Quum Syracuſani et Leontini bellum inter ſe gerebant, Rhegini his faverunt, *κατὰ τὸ ξυγγενές* (245). — Melii, ab Athenienſibus presſi, dicebant, ſe exſpectare, Lacedaemoniorum civitatem ſibi auxilio fore, *ἀνάγκην ἔχουσαν καὶ εἰ μὴ τοῦ ἄλλου, τῆς γε ξυγγενείας ἕνεκα καὶ αἰσχύνῃ βοηθεῖν* (246). Ambraciotae, expeditionem in Acarnaniam molientes, a Corinthiis naves acceperunt, cum horum esſent coloni, quibus Corinthii ſtudioſe favebant (247). Ex eodem hoc necesſitudinis vinculo explicandum est, quod Corinthii, cum Graecorum acies ad Plataeas ordinabatur, a Pauſania impetraverunt, ut iuxta ſe ſtarent Potidaeatae, ipſorum co-

(242) Herodotus V. 49.
(243) Herodotus V. 97.
(244) Thucydides I. 95.
(245) Thucydides III. 87.
(246) Thucydides V. 104.
(247) Thucydides II. 8.

coloni (248). Epidamnii, magnas feditiones et calamitates faepius perpesfi, legatos miferunt in Corcyram ὥς μητρόπολιν οὖσαν, ut fcribit Thucydides, ab ea petituros, ut fibi auxilium ferret, neque fe perdi fineret (249).

Hac obligatione proximos non folum conditores teneri, fed et metropolin conditoris, ex eadem re efficitur. Nam cum Epidamnii, Corcyraeis metropoleos officia deferentibus, re infecta redire coacti esfent, Delphis Deum confuluerunt, darentne operam, ut a Corinthiis, quos etiam conditores agnoscebant, auxilium fibi peterent; annuente autem Deo, Corinthum venerunt et auxilium ab ea acceperunt (250).

Hoc modo coloniae et metropoles, ad fuas utraeque vires augendas, fefeque ab exteris populis fecuras praeftandas, multum contulerunt. Et, fi arctisfimam colonias inter et metropoles necesfitudinem animadvertamus, non est, quod illud miremur. Coloniae enim apud veteres erga metropoles eo loco habebantur, quo

---

(248) Herodotus IX. 28.

(249) Thucydides I. 24.

(250) Thucydides I. 25. Ipfi Corinthii hanc obligationem agnoverunt; nam precibus Epidamniorum indulferunt, non folum propter odium in Corcyraeos, fed etiam κατὰ τὸ δίκαιον, ut Thucydides ibidem tradit.

quo liberi erga parentes (251). Hinc Plato alicubi dixit, necesſitudini, quae inter colonias et metropolin intercedat, nihil ſimile esſe. Quamqnam haec amicitiae atque arctae necesſitudinis officia non ſemper omni religione ſervata ſint. Videbimus enim, metropoles coloniarum iurium immemores, dominationem in eas exercere ſaepius ſtuduisſe, et nimis in eas ſaeviisſe.

Non aliter ac coloniae et metropoles, coloniae ex eadem metropoli propagatae, inter ſe arctisſimo vinculo erant coniunctae. Erga ſeſe invicem ſorores habebantur, veluti ex eadem ſusceptae matre. Hinc earum inter ſe vinculum a ſcriptoribus ſaepe dicitur *ἡ ἀδελφικὴ συγγενεία.* Ita Dio (252) Leucaden Syracuſarum *ſororem* dixit, quia utraque Corinthi erat colonia. Haec necesſitudo etiam confirmatur exemplo coloniarum Ionicarum in Aſia minore, quas foedere omnes coniunctas fuisſe diximus. Ha-

---

(251) Hac comparatione apud ſcriptores nihil est frequentius. Artabanus Xerxi ſuaſit. ne Iones ſocios ſibi asſumeret, neque duceret *ἐπὶ τοῦς πατέρας.* HERODOTUS VII. 51. Themistocles inter alia lapidibus incidit, quae deinceps ab Ionibus, qui Perſis favebant, legerentur: *Ἄνδρες Ἴωνες, οὐ ποιέετε δίκαια ἐπὶ τοὺς πατέρας στρατευόμενοι.* HERODOTUS VIII. 22. Cf. PLUTARCHUS *in Themistocle* tom. I, pag. 256. ed. Bryani. POLYAENUS I. 30. Iidem Iones Graecorum dicuntur *ὁμαίμονες* apud HERODOTUM V. 49.

(252) Apud PLUTARCH. *vit. Dionis.*

Hactenus de necesſitudine vidimus inter colonias et metropoles Graecas, quae ſponte, ſua ipſa natura, cognationis quaſi memoria obtinebat, deque earum officiis ſibi mutuo praeſtandis, pietate in primis innitentibus. — At vero quid iuris inter eas interceſſerit, et quomodo ſeſe erga colonias gesſerint metropoles, quaestiones ſunt non minoris momenti, et ad hunc locum omnino pertinentes. Si ipſius rei conſulamus naturam, illamque legem, quae, ut Cicero ait, non ſcripta ſed nata est (253), quaeque a ſana ratione proficiscitur, non magna probatione indiget, coloniam, ex liberis hominibus compoſitam, ſua voluntate, ſub auſpiciis civitatis, profectam, ſuo iure liberam esſe, neque metropoli ſubiectam. Quid? populine pars, relicto patrio ſolo, ipſa conſentiente civitate, ſimul ſua amittit iura et in ſubdititiorum venit ordinem. Immo vero, ſua retinet iura, neque ei ſine iniuria illa quis ablaturus est (254). Ne-

(253) Cicero *pro Mil.* c. 5.

(254) Conf. doct. BRAND l. l. pag. 32 ſeq. Haec in eam ſententiam non diſputo, ac ſi contendam, colonias, relicta metropoli, ſua ipſas fata ſequi, et ſuo periculo novam condere civitatem; hac enim in re migrationum et ipſarum coloniarum, ad quas noſtra diſputatio pertinet, diſcrimen cernitur. Sed hoc volo, colonias, quamvis relicta patria, ad eandem civitatem etiam deinceps pertinere, eidem ſummo ac

Neque inter veteres defuerunt, qui hanc doctrinam agnoscerent. Tullus Hostilius dixit (255): *τὸ δὲ ἄρχειν ἐκ παντός τῶν ἀποικιῶν τὰς μητροπόλεις, ὡς ἀναγκαῖόν τι φύσεως νόμιμον, οὔτε ἀληθὲς οὔτε δίκαιον ἠξιοῦτο ὑφ᾽ ἡμῶν.* — Quantis autem mutationibus ista lex naturae per conſtituta hominum ſubiecta ſit, nimium est notum.

Iuris vinculum, quod inter colonias et metropoles Graecas intercedebat, non omnibus idem fuit, cum ſaepe illud penderet a conditionibus, quibus deductae fuisſent, quae in tabulis (*ἀποίκιοις*) continebantur. Generatim autem credere licet, Graecas colonias civitates liberas fuisſe, eo ſenſu, quod metropoles in eas imperium non exercererent, auctoritatem tamen haberent. Num autem eae emisſae fuerint, ut revera hoc iure uterentur, an vero ut his promisſis

---

atque antea imperio ſubiectas esſe, in primis ſi regio coloniae condendae ad metropolin pertineat, et illa ab indicetur; tum in hac regione iisdem, atque antea in metropoli, iuribus gaudere, non vero ſubdititiorum esſe numero; adeo ut eadem civitas per duas pluresve regiones quaſi propagetur. Atque ita ſine dubio intelligendus est ſummus nostras GROTIUS, ubi, *De Iure Belli et Pacis* II. 9, § 10. dicit: *ſic novum populum ſui iuris nasci;* nam haec ad verbum non esſe ſumenda ſupra ſaepius indicavi, cum colonia condita, novus quidem populus, reſpectu ad ſe, ceterasque gentes nascatur, non vero metropoleos habita ratione.

(255) Apud DION. HAL. III. 11.

ſis allecti, eo plures ſocii coloniae nomina darent parum refert. De multis coloniis hoc probari potest. Herodotus de coloniis in Aſia minore tradit, eas ante Croeſi imperium liberas fuisſe (256). Corcyraei in Athenienſium concione de ſe ipſi affirmant: *οὐ γὰρ ἐπὶ τῷ δοῦλοι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ὅμοιοι τοῖς λειπομένοις εἶναι, ἐκπέμπονται* (257). Et Corinthii, coloniam Epidamnum deducturi, edixerunt, *ἐπὶ τῇ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ τὸν βουλόμενον ἰέναι* (258). Sunt tamen, quae ſuadere videantur, ut ſtatueret quispiam, colonias Graecas liberas non fuisſe (259). Nam quod ad Corinthios attinet, ipſi dixerunt: *ἡμεῖς δὲ οὐδ' αὐτοί φαμὲν ἐπὶ τῷ ὑπὸ τούτων ὑβρίζεσθαι κατοικίσαι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ἡγεμόνες* τε

---

(256) Herodot. I. 6.
(257) Thucyd. I. 34.
(258) Thucyd. I. 27.
(259) Antea etiam huic ſententiae magis favebam; motus in primis exemplo coloniae Corinthiorum Epidamnum deductae *ἐπὶ τῇ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ*. Credebam enim, coloniam ideo hac conditione fuisſe deductam, ut, quo magis ea recederet a conſtanti Corinthiorum more, eo plures cives eius participes esſent. Sed, re accuratius perpenſa, adductus ſum, ut crederem, veram esſe explicationem Heynii: illud non ad cives, ſed ad peregrinos pertinere, ut ſcilicet hi eodem iure atque ipſi Corinthi cives eo proficiscerentur. Vid. Heynii *Opusc.* I, p. 324. Ipſius Thucydidis locus hanc interpretationem poſcit, cum in eodem capite tradatur, multos peregrinos huius coloniae ſocios fuisſe.

τε εἶναι καὶ τὰ εἰκότα θαυμάζεσθαι (260). Attamen haec verba minus de principatu et de indeterminato imperio metropoleos, quam de auctoritate intelligenda ſunt (261). Sunt etiam, qui colonias Graecas metropoli ſubiectas fuiſſe ideo contendant, quod coloniarum magistratus a metropoli fuerint inſtituti. Et ſane hoc factum fuiſſe multa exempla arguunt. De Potidaea, Corinthiorum colonia, hoc affirmat Thucydides, qui Athenienſes tradit Potidaeatas iusſiſſe: τούς τε ἐπιδημιουργοὺς ἐκπέμπειν, καὶ τολοιπὸν μὴ δέχεσθαι, οὓς κατὰ ἔτος ἕκαςον Κορίνθιοι ἔπεμπον (262). Cythera quotannis a metropoli Lacedaemone magistratum ad ius dicendum, Κυθηροδίκην, accepit (263). Et Epidauri coloni in inſula Aegina Epidauro cauſas ſuas diiudicandas committere debebant (264). Quae licet ita ſint, ne tamen

---

(260) Thuc. I. 38.

(261) Haec etiam eo confirmantur, quod hic ἡγεμόνες εἶναι coniungitur cum θαυμάζεσθαι, quod de conſuetis honoribus, a coloniis metropoli praeſtandis intelligendum est. Tum vero thucydidem I. 94. ἡγεμονίαν vocasſe, quod, de eadem re loquens, paulo post dixit ςρατηγίαν, animadvertit sthephanus, quem dukerus laudat ad h. l. In posteriori autem loco ςρατηγία τυραννίδι opponitur.

(262) Thuc. I. 56.

(263) Thuc. IV. 53.

(264) Herodotus V. 83.

men quis existimet propterea, principatum in colonias habuisfe metropoles; hac autem formula intelligimus imperium, quod metropolis *iure* et *ab origine* in colonias exercuerit, non vero, quod *deinceps vi et armis* fibi comparaverit. Alia enim quaestio est, num coloniae Graecae *ab origine et iure fuo* liberae fuerint, an vero tales *deinceps* esfe permanferint. Posterius autem negandum est. Hic igitur mos, magistratuum in colonias mittendorum, ad feriora in primis tempora pertinet, cum metropoles in eas dominationem fibi conciliaverant, ad cohibendas colonias, pristina fua iura vindicantes. Atque ita etiam Thucydidis locum intellexisfe videtur Scholiastes, fcribens (265): *ἰςέον δὲ ὅτι τούτους ἀπέςελλον ὁι Κορίνθιοι κατὰ ἔτος ἀρχόντας Ποτιδαιάταις, ὡς ἀποίκοις, ἵνα, ἐὰν ἀποςῶσιν, εὐάλωτοι γένωνται.* — De Cythera autem res plane est fingularis. Haec infula praefidium potius Lacedaemoniorum, quam eorum colonia dicenda est. Et cum eius maximam femper curam haberent, in eam tum alios magistratus, tum militum graviter armatorum praefidium femper miferunt, quod Laconiae adiacebat, et hostium incurfioni valde opportuna erat (266).

Ut

(265) Vide Scholiasten ad THUC. I. 56. cf. SANCTO-CRUCIUS *de l'etat et du sort des colonies des anciens Peuples.* pag. 176.

(266) THUCYD. IV. 53. Hinc Chilon, Spartanorum fapientis.

Ut autem, fi de iure quaeratur, recte ftatuitur, colonias Graecas liberas ob origine fuisfe (267), ita contra, fi quae acciderunt animadvertamus, patet, metropoles coloniis identidem multum iuris detraxisfe. Conftat enim, civitates Graecas plerumque ftuduisfe, ut colonias fibi fubiicerent. Hinc fere prohibebant, quominus coloniae potentia nimis crescerent, ne aliquando hae ipfam metropolin viribus aut aequipararent aut etiam fuperarent. Thucydides testatur, Corinthios tum propter alia Corcyraeos contemtui habuisfe, tum quod pecuniarum copia vel ditisfimis quibusque Graecis pares esfent, bellico apparatu gauderent, et clasfi fe ceteris longe praeftare iactarent (268).

In primis autem Athenienfes ceteris Graeciae gentibus huius rei exempla praeftiterunt. Saepius iniquisfime cum colonis egerunt, eosque magis tanquam dedititios, quam liberos homi-

---

tisfimus, dixisfe fertur, magnum lucrum Spartanis fore, fi haec infula undis potius mergeretur, quam emineret. HEROD. VII. 235. Huius infulae fitus opportunitate, Demaratus Xerxi fuafit, ut in hanc infulam clasfem dimitteret, invafionem in Laconiam fuscepturam. *Idem. ibid.* Et eadem commoditate ufus est Nicias, cum in bello Peloponnefiaco huic infulae bellum inferret. THUC. l. l.

(267) Eandem fententiam latius expofuit doct. BRAND l. l. p. 123 feq.

(268) THUCYDIDES I. 25.

mines, ex ſe propagatos, tractarunt. Et dum iis auxilio adesſe, aut ex cognationis memoria quaevis officia iis ſe praeſtare prae ſe ferebant, clanculum iis libertatem eripere, iisque vincula iniicere conati ſunt. Hermocrates (269) in Camarinaeorum concilio fateri non dubitat, Athenienſibus in bello Medico imperio ab Ionibus delato, licet illi prae ſe ferrent, ſe Perſas ulturos, Graecorumque libertatem ſervaturos esſe, in primis tamen eos bellum contra Perſas ſuscepisſe, ut Graecos, (quo nomine praeſertim Iones Aſiae minoris intelligendos esſe crediderim) in ſuam potestatem redigerent.

Deinceps etiam tum a ſociis tum a coloniis tributa exegerunt, quae cum tempore Aristidis, qui ea inſtituerat, modica esſent, paulo tamen post, in primis belli Peloponneſiaci initio increscebant, ad quae congerenda, novi magistratus (*Ἑλληνοταμίαι*) ab Athenienſibus ſunt creati (270). Durisſimo iugo ſubiecti erant Athenienſium coloni, initio praeſertim istius belli. Diodoro Siculo narrationem debemus, quae crudelitatem et ſaevam Cleonis indolem egregie prodit. Eo enim ſuadente, populus iubebat Mitylaenaeos ad unum omnes, qui pubertatis annos ſuperasſent

(269) Apud THUCYD. VII. 76.
(270) THUCYD. I. 96.

lent, trucidari, ipſorumque liberos et uxores venumdari (271). Quae ſi cogitemus, non est profecto quod miremur, colonias, ſimul atque occaſio ipſis esſet oblata, a metropoli alienatas fuisſe. Quod in primis accidit, postquam ingentem a Syracuſanis cladem accepisſent Athenienſes, et paene plane profligati esſent. Tota enim tunc Euboea ab iis defecit, una exepta Oreo, quam ipſi Athenienſes tenebant (272); et pleraeque ceterae inſulae, identidem ab iis deficientes, ad Lacedaemonios ſeſe applicuerunt (273). Bello Peloponneſiaco confecto omnes Athenienſium coloniae in potestatem Spartanorum venerunt. Horum tamen imperii brevi pertaeſae, iterum deinceps foedus cum Athenienſibus inierunt nonnullae, Chios, Byzantium, Rhodus, Mytilene, aliaeque inſulae. Senatus, Athenis habendus, inſtitutus est, in quem ex unaquaque delecti convenirent, et in quo ſingulis ſuffragii ius esſet; conveniebatque, ut ſuam quaeque haberet iurisdictionem, ſub auſpiciis tamen Athenienſium (274). Quae

(271) DIOD. SIC. XII. 55.

(272) THUCYD. VIII. 95. Eadem inſula ſaepius iam ante ab Athenienſibus defecerat; et paulo antea maxima exarſerat ſeditio, quam tamen represſerat Pericles, qui inſulam iterum Athenienſibus ſubiecerat. *Idem* I. 114. DIOD. SIC. XII. 7.

(273) THUCYD. I. 99.

(274) DIOD. SIC. XV. 28.

Quae vero disputavimus ne ita interpreteris, ac ſi metropoles imperium in colonias ſemper ſive calliditate, ſive vi et armis ſibi comparaverint, eoque ſemel accepto, nullas non iniurias in eas commiſerint, iustique regulas plane violaverint. Saepius enim colonia, unanimi civium conſenſu, honoris aut auxilii accipiendi cauſa, imperium metropoli deferebat. Iones ope Athenienſium a Perſarum dominatione liberati, ſed Pauſaniae inſolentiae pertaeſi, ipſi ad hos venerunt, petituri ut communis originis memoriâ, propter necesſitudinem, quae illis ſecum erat (*κατὰ τὸ ξυγγενές*), ſibi praeesſent (275); atque adeo volentes illud imperium Athenienſibus concesſerunt (276). Syracuſani, quod Corinthii ipſis opem contra hostem bis tulerant, decreverunt: *ὁσάκις συμπέσοι πόλεμος αὐτοῖς πρὸς ἀλλοφύλους, Κορινθίῳ χρῆσθαι στρατηγῷ* (277). Cave igitur, ne ex adductis et innumeris aliis, quae afferri posſint, exemplis, effici posſe putes, huic metropoleos principatui ab origine colonias ſubiectas fuisſe, quaſi vero illud ad maiorem patriam iure pertinuerit. Quid enim alioquin ſignificat, illum colonias metropoli ob-

(275) THUCYD. I. 95.
(276) *Idem.* I. 96.
(277) PLUTARCH. *in Timoleone*, in fine.

obtulisse κατὰ τὸ ξυγγενές, et hanc vicissim illum accepisse, διὰ ξυγγένειαν? Atque, quod ad tributa attinet, ea non ab initio colonias pependisse, sed deinceps, Aristidis maxime temporibus, instituta esse, ex historia constat. Metropoles vero deinceps hac concessione abusas, plenam in colonias dominationem exercuisse, alia res est, multasque ab iis saevitias et iniurias commissas esse, negari quidem nequit; attamen cum metropoles semel aliquam in colonias potestatem, ipsis illis consentientibus, accepissent, eas hanc potestatem magis magisque augere conatas esse, et deinceps eo pervenisse, ut plenam in colonias exercerent dominationem, et has tandem sibi plane subiectas haberent, quid et populis imperium magis magisque propagare studentibus, totique aegrorum mortalium generi, quamplurima sibi comparare meditanti, magis congruens et conveniens excogitari potest? Hoc docet et ipsa hominum natura, et gentium quotquot fuerunt per omnia saecula historia.

§ 4.

De utilitatibus, quas Graeci ex coloniis perceperunt.

Si cogitemus, quibus consiliis Graeci variis tem-

temporibus colonias deduxerint, quas rationes fecuti fint, quave prudentia eas vel deduxerint vel inftruxerint, denique fi colonias inter et metropoles necesfitudinem reputemus, variae, quas illae Graecis utilitates praebebant, nos fugere haud posfunt. Eas autem generatim diverfas fuisfe ab iis, quas Phoenices ex fuis percepisfe vidimus, ipfa quidem rei ratio fatis docet; quamvis nonnulla cum Phoenicum coloniis hac in re recte comparaveris. Nam coloniae, aut fi mavis, emigrationes, propter nimium incolarum numerum, antiquisfimis temporibus faepius ex Graecia profectae, neque recentioribus temporibus plane infolitae, five eae fponte fua, five ipfa auctore civitate patriam reliquerint, eadem quidem Graecis ac Phoenicibus, quin omnibus ceteris, quotquot fuerunt et etiam nunc funt, populis commoda praebebant et utilitates. Pariter Graecia hominum otioforum colluvie, civitati periculofisfima, liberabatur, qua amisfa, reliqua civium pars, civitati magis frugifera, bona quaevis multa huic poterat praeftare, antea ab illa impedita.

Coloniae vero, quarum deducendarum confilia a Phoenicibus fuerunt aliena, alius prorfus generis commoda praeftabant atque utilitates. Graeciae populi, quamquam ex civitatibus, quas finguli eorum conftituebant, non

vastum neque late patens efficere ſtuderent imperium, ut Perſae, Macedones, Romani, alii; tamen, uti ceteri populi omnes, cavebant, ne ſuae civitates hostium incurſionibus infestarentur. Atque hoc eos conſilio, in primis vero Athenienſes plures colonias deduxisſe ſupra ſignificavi. Ex his autem coloniis eos maxima percepisſe commoda, quis est qui non videat? A laeſionibus quippe barbarorum, quas antea ſaepius experti erant, tuti fiebant; quas niſi avertisſent, tractu temporis, fortasſe non fines tantum invaſisſent, verum ulterius progresſi, ipſas civitates Graecas adorti esſent barbari isti, funditus eas deleturi. Coloniis deinceps tanquam praeſidiis fere ac propugnaculis conditis, haec pericula cum avertebantur, tum ad terminos usque per Pontum Euxinum navigare et ad eius oras aliosque tractus ſine laeſionum metu appellere poterant Graeci. Sed praeter haec commoda, quae ex illis coloniis, ad Pontum Euxinum maxime et in Thracia conditis percipiebant, alias etiam eaedem illae praeſtabant utilitates. Thracia enim Athenienſibus utilisſima erat metallis aurariis, quae in illis regionibus inveniebantur (278), multam iis praebebat ligni copiam, navibus aedificandis aptisſi-

(278) Thucyd. IV. 105.

ſimam (279). Atque hinc intelligitur, cur Athenienſes hanc regionem tanti facerent, et quare Amphipolin ſibi iterum atque iterum ademptam, toto ſemper animo ſibi recuperare ſtuderent, quantamque iacturam fecerint, hac urbe a Braſida, Peloponneſiaci belli anno octavo occupata (280), quae praeterea vectigalia Athenienſibus pependerat (281). Accedebat, quod huic regioni inſula Thaſos erat vicina, coloniis Athenienſibus occupata, quae quantopere iis prodeſſet, ex iis, quae de eius metallorum copia, deque divitiis, quas ex ea Phoenices olim hauſerant, ſupra diximus, intelligitur.

Coloniae, a Graecis trans mare in variis regionibus conditae, ad culturam Graeciae generatim promovendam multum contulerunt. Cogitemus autem, eorum navigationem antiquitus piraticam fuiſſe, quam licet nunquam ad tantam perfectionem ac Phoenices perduxerint, colonias tamen, in primis Aſiae minoris eam auxiſſe, dubitare non licet. Nam cum inter eas et metropoles arctiſſima intercederet neceſſitudo, et hae cum illis maxima commercia exercerent, perſpicuum est, haec omnia in Graecorum

(279) Thucyd. IV. 108.
(280) *Idem.* IV. 106.
(281) *Idem.* IV. 108.

rum navigationem maximam habuisse vim. Emissis coloniis, tnm hae, tum metropoles, ut necessitudinem et commercia inter se retinerent, ad navigationem, et omnes, quae ad hanc pertinerent artes atque doctrinas sese necessario applicabant. Quid? civitatis limitibus ulterius propagatis, pluribus quibusvis rebus indigebant, quarum usum antea inter arctiores fines inclusi ignorabant; atque hinc ingenium magis magisque acuebatur. Quin etiam Heerenio (282) assentior putanti, colonias commerciaque metropoleon cum illis, introductorum atque per totam Graeciam dispersorum nummorum caussam fuisse. Ex Herodoto autem scimus, Lydos, in quorum regione Graeci multas habebant colonias, nummis ex auro atque argento cusis primos usos esse (283). Et Ephorus (284) tradit, Aeginetas primum cudisse nummos, cum per mare negotiari incepissent. Quin et commercia metropoleon cum coloniis et arcta inter eas necessitudinem Graeciae non tantum, sed etiam universi orbis cultui maximopere profuisse, non immerito statueris. Coloniis in felicioribus terrarum tractibus sub optimo coelo conditis, quam varias illae

(282) HEEREN *Ideën*, etc. th. 3, abth. 1. p. 287.
(283) HEROD. I. 94.
(284) Apud STRABON. VIII, p. 577.

lae humanae mentis cogitationes producere et explicare necesſario debebant, in primis vero illae, quae liberae ſua quaeque uterentur regiminis forma? Quot quantosque eximios ſagacisſimoque viros ingenio coloniae in Aſia minore nasci viderunt, qui deinceps in Graeciam ventitarunt, ſcholasque ibi aperuerunt, unde exorta ingenia, quae Graeciam egregiis inſtitutis, eiusque incolas optimis quibusvis disciplinis, ornarent, quae ſui ſaeculi esſent lux, et ſequentibus aevis facem praeferrent, ſcriptis ſuis, quae per omnia tempora toti docto orbi exemplo fuerunt, et etiamnunc ſumma cum admiratione leguntur. Quid? nonne philoſophiae Graecae initia in coloniis Aſiae minoris quaerenda ſunt? Nonne

Crevit occulto velut arbor aevo
Fama

Thaletis Mileſii, qui philoſophiae apud Graecos auctor et inventor, et fuit et habetur? Nonne ſummi Athenis viri, Socrates, Pericles, Euripides, Anaxagoram, ex Thaletis ſchola profectum, magistrum habuerunt, eiusque praeceptis imbuti ſunt? Quid memorem leges Zaleuci et Charondae egregias, quas nobile illud par ſuis uterque ſcripſit civibus, quibusque item multa inerant digna, quae imitarentur ſequerenturque aliae gentes, ipſique Graeci illorum auctores?

Coloniae nonnullae ſitu ſuo metropoli maxima praebuerunt commoda, quarum ſcilicet opportunitate eo facilius regionem aliquam vicinam occupare posſent. Tertio anno belli Peloponneſiaci Athenienſes Aeginetas ſedibus expulerunt, prae ſe ferentes, eos rebus Lacedaemoniorum favere, inque eorum inſulam coloniam miſerunt (285). Vera tamen haec cauſa fuisſe non videtur, neque etiam ut ex ipſa utilitates perciperent, cum eius ſterilitas ſatis ſuperque esſet nota (286). Immo veroſimilius videtur, Athenienſes hanc inſulam occupasſe maxime, ut, cum Peloponneſo esſet vicina, inde hanc facilius invadere posſent; quod non obſcure indicare videtur Thucydides, ſcribens: *καὶ τὴν Αἴγιναν ἀσφαλέστερον ἐφαίνετο τῇ Πελοποννήσῳ ἐπικειμένην, αὐτῶν πέμψαντες ἐποίκους, ἔχειν.*

Si autem ad illud coloniarum genus reſpiciamus, quod longe praeſtantisſimum Heynio merito dicitur, quarum ſcilicet deducendarum conſilium fuit, ut eae navigationi et mercaturae inſervirent, multi, ex quibus maxima haurirentur commoda, ſeſe nobis offerunt fontes. Civitatibus mercaturam exercentibus colonias non ſolum utilisſimas, ſed et necesſa-

ri-

(285) Thucyd. II. 27. Diod. sic. XII. 44.
(286) Strabo l. c.

rias esse, supra iam monui. Eiusmodi autem colonias illis civitatibus Graecis, quae mercaturam exercebant, maximopere profuisse, quis non videt? Per omnes enim antiqui orbis partes coloniae Graecae erant propagatae, sive illae ab ipsis metropolibus, sive ab earum coloniis essent deductae. Non impediebatur metropolis ab aliis populis, quominus coloniarum portus adiret, qui nullis aliis patebant, nisi quibuscum foedera coloniae inierant. Corinthus, *bimaris illa*, ut Horatii verbis utar (287), quam, si felicem spectes situm, a natura mercaturae fere destinatam diceres, quae maximam sane exercebat mercaturam, et iam ab Homero propter opulentiam laudabatur, Corinthus, inquam, tantamne unquam sibi conciliasset potentiam, nisi huc et illuc colonias deduxisset? Hinc deinceps Asiaticae et Europaeae mercaturae fuit emporium. Nam ex omnibus fere orbis partibus Corinthum merces mittebantur, quae inde quaquaversum distribuerentur (288). Quid Milesios, celeberrimos illos mercatores, ut in tot varias regiones deducerent colonias, movisset, nisi bene perspexissent, innumera ex iis commo-

(287) HORAT. *Od.* I. 7. VS. 2.

(288) Cf. BARTHELEMIUS Op. cit. tom. 4, pag 133 ibique laudati.

moda, nullasque non utilitates mercaturae navigationique esſe proventuras?

Cogitemus porro arctisſimam illam, quae inter Graecas metropoles earumque colonias intercedebat, necesſitudinem, innumeraque, quae ſibi propterea invicem praeſtabant, officia. In nullis non negotiis invicem ſibi ſuccurrebant. Metropolis, bellis implicata, aut gravi presſa calamitate, aut denique ſi opibus indigeret, ad colonias ſeſe convertebat, probe ſciens, non fruſtra ſe petituram esſe, ut illae ſuis opibus ipſam adiuvarent. In coloniis optimum habebant praeſidium, novisſimum ſolatium.

Denique posterioribus temporibus, cum metropoles a coloniis tributa cogebant, illas ex his multas divitias hauſisſe perſpicuum est. Si enim ingentem coloniarum cogitemus numerum, parvi ea tributa metropolibus momenti fuisſe non potuerunt. Attamen eadem illa tributa ſpecie tantum illis aliquod praebuerunt emolumentum, revera autem ipſis metropolibus valde nocuerunt. Tributa enim in cauſa fuerunt, cur coloniae deinceps identidem a metropolibus deficerent; unde hae ſimul cum tributis cetera etiam commoda, quae ex commercio cum coloniis redundabant, amiſerunt. Utinam prudentiam, qua ceteroquin ſaepius eminuerunt, melius adhibuisſent Graecae metropoles, et, quae amicitiae vincula iis praeſtabant, commodis contentae fuisſent! diutius ſa-

ſane illis aliisque emolumentis gaviſae fuisſent, quae vi et ambitione ſibi comparare frustra deinceps conati ſunt. Ex hac re docemur, quanto meliores certioresque ſint utilitates, omniaque quaevis commoda et emolumenta, quae pacificum cum ſociis aliisve civitatibus praebeat commercium, iis, quae vi, ſaeva ambitione, omniaque habendi cupidine nobis vindicemus.

CAPUT TERTIUM.

DE COLONIIS ROMANORUM.

Romanarum coloniarum consilia et rationes describere nunc aggredior; quae, sive causas spectemus, ob quas populus Romanus eas deduxerit, sive, illis deductis, ad vinculum attendamus, quod inter eas et metropolin intercederet, a Graecorum in coloniis tum deducendis tum instituendis consiliis, et vero ab iis, quae Phoenices secuti fuerant, longe differebant. Vidimus enim, Phoenices eo in primis consilio colonias emisisse, ut mercaturae et navigationi illae inservirent, utque hae per colonias magis magisque propagarentur; Graecos autem haec consilia aliquantum fuisse secutos, licet etiam propter alias causas non paucas deduxerint colonias. Romani contra, quibus mercatura et navigatio non adeo cordi erant, sed qui bellis gerendis imperii fines magis magisque propagare studebant, haec studia secuti potius co-

colonias deduxerunt; unde etiam apud hos coloniarum deductarum longe alia ratio fuit, quam apud Phoenices aut Graecos, cum horum coloniae maiori fruerentur libertate, Romanorum vero metropoleos imperio obnoxiae magis manerent. Hinc intelligitur, quantopere omnia ad colonias pertinentia apud Romanos atque Phoenices et Graecos differant, uti etiam infra magis magisque apparebit.

His monitis, videamus

§ 1.

De confilio, quo Romani colonias deduxerint.

A primis iam civitatis primordiis Romani colonias condiderunt, adeo ut huius confilii ipſe Romulus auctor merito dicatur. Hic enim, quae oppida cepit, ea neque diruit, neque ſervitute incolas mulctavit, ſed in agrum ab iis captum colonos ad incolendum ab urbe deduxit. Ita Caeninenſibus, Antemnatibus et Crustumerinis devictis, eorum civitates colonias fecit Romanorum (289). Hoc Romuli inſtitutum omnium praeſtantisſimum iudicat Dionyſius Halicarnasſen-

(289) Dion. hal. *Antiq. Rom.* II. 35, 36.

fenfit (290): quod, uti idem existimat, fuit Romanae libertatis firmisfimum fundamentum; neque rebus ad imperium parandum pertinentibus minimum profuit, ut fcilicet puberes in urbibus captis non trucidarentur, neque in fervitutem redigerentur, aut ager eorum defertus relinqueretur; fed coloni in eas mitterentur, agrique pars iis asfignaretur, urbesque devictae fierent Romanorum colonias et nonnullis etiam ius civitatis daretur. — Quidni lubenter Dionyfio asfentiamur? Hoc enim confilio quid ad imperium latius propagandum melius excogitari potuit atque efficacius? Quid? hoc modo Romani, unam initio urbem tenentes, alia devicta, populique parte in eam deductâ, nomen Romanum deinceps propagarunt; unde coloniae Gellio recte dicuntur: *civitates ex civitate Romana quodammodo propagatae* (291). Neque, qui Romulo fuccesferunt, reges hoc confilium reprobarunt; fiquidem Livius fcripfit, Tarquinium Superbum colonos Signiam Circeiosque mifisfe; tum ob alias caufas, tum *quia occupari latius imperii fines volebat* (292). Neque deinde, regibus exactis, ille mos defiit, fed S. P. Q. R. hanc

(290) Dion. hal. II. 16.
(291) A. Gellius N. A. XVI. 13.
(292) Livius I. 56.

hanc consuetudinem retinuit, horumque potestate imminuta, Dictatores et deinde Imperatores colonias deduxerunt (293). Cum autem hoc princeps esset Romanorum consilium, tum in omnibus eorum rebus perspicuum, tum ad omnes, quas deducerent colonias, magis minusve pertinens; age vero, propiora consilia accuratius investigemus.

Primum autem colonias deduxerunt Romani, ut priores populi, qui locum, quo mittebantur coloni, habitabant, coercerentur; quod Flaccus innuit (294), qui *Colonias* ita dictas ait, »Quod »Romani in ea municipia colonos miserunt, »vel ad ipsos municipiorum populos coercen»dos, vel ad hostium incursus repellendos." Huc pertinent coloniae, Caeninensibus et Antemnatibus devictis, in horum urbes deductae, cum Romulus illud optimum remedium fore putaret, et ad gloriam et ad incolumitatem utrisque utile (295). Quare ob eandem item rationem Crustumerium deducta est colonia (296). Mul-

---

(293) Qui recensum coloniarum Romanarum sibi velint, legant scriptores laudatos ab HEYNIO *Opusc. Acad.* vol. III, p. 81, in nota; in primis SIGONIUM ad LIVIUM XXVII. 9.

(294) SICULUS FLACCUS *de Condit. Agror.* init.

(295) DIONYS. HAL. II. 35.

(296) *Idem.* II. 36.

Multarum coloniarum hoc consilio deductarum exempla historia Romana praebet. Unde non est quod miremur, Senecam dixisse. » Hic dein» de populus quot colonias in omnes provin» cias emisit! ubicunque vicit Romanus, habi» tat" (297). Devictos populos sibi subiectos tenere, nisi in eorum sedibus reliquissent, qui incolas coërcerent, quid, quaeso, difficilius fuisset?

Alterum consilium deducendarum coloniarum Romanis fuit, ut hostium incursiones reprimerentur, ut docet Flaccus in loco modo laudato; quod Municii verbis confirmatur (298): *αἱ δὲ ἀποςαλὰι*, inquit, *τῶν κληρούχων ἀντ᾽ ἀναγκαίου ἐγένοντο, κοινῇ δόξαν ὑμῖν ἅπασιν, διὰ φυλακῆς ἔχειν χωρία εἰς πόλεμον ἐπιτήδεια.* Hoc etiam praeter cetera Tarquinium movit, ut colonias Signiam Circeiosque mitteret, *praesidia*, uti existimabat, *urbi futura terra marique* (299). Non alia Narbonis Marcii fuit ratio, si quidem Cicero de ea dixit: » Est .... colonia nostrorum ci» vium, specula Populi Romani ac propugnacu» lum, istis ipsis nationibus (Gallis), oppositum » et obiectum" (300); et alibi (301) de Capua: » Quid

(297) SENECA *cons. ad Helv.* c. 7.
(298) DION. HAL. VII. 28.
(299) LIVIUS I. 56.
(300) *Or. pro M. Fonteio* c. 1.
(301) CICERO *de Leg. Agr.* I. 7.

» Quid enim cavendum est in coloniis deducen» dis, ſi .... praeſidium non praeponitur huic » urbi ista colonia, ſed opponitur?" Hoc Romanorum conſilium, eorumque prudentiam in locis huic idoneis eligendis, multis laudibus extollit idem Marcus Tullius Cicero: » quo in » genere," inquit, » ut in ceteris reipublicae » partibus, est operae pretium diligentiam ma» iorum recordari, qui colonias ſic idoneis in » locis contra ſuspicionem periculi collocarunt, » ut esſe non oppida Italiae, ſed propugnacula » imperii Romani viderentur" (302).

Tertium conſilium coloniarum deducendarum fuit, ut ſtirps Romana augeretur. Hoc indicat Livius, cum Magistratus Romanos legationibus coloniarum nonnullarum, quae bello Punico ſecundo milites Romanis negaverant, inter alia haec dicentes inducit: » admonerent (ſuos), non » Campanos, neque Tarentinos eos esſe, ſed » Romanos; inde oriundos, inde in colonias » atque in agrum bello captum *ſtirpis augen» dae cauſa* misſos" (303).

Quartum fuit conſilium, ut plebs urbana exhauriretur; cui aliud accesſit, ut hoc modo ſeditiones, quae propter annonae penuriam non ra-

(302) Cicero *ibid.* II, 27.
(303) Livius XXVII. 9.

raro oriebantur, ſedarentur, tum ut, his emiſſis, civitas minore annonae penuria laboraret (304). His conſiliis infima plebis pars, ſpecioſo rei nomine impoſito, ſaepius ex urbe in coloniam miſſa est (305). Exemplo ſit colonia illa, cuius ſaepius memini, a Tarquinio Superbo Signiam Circeiosque miſſa, *quia urbi multitudinem, ubi uſus non esſet, oneri rebatur esſe* (306). Velitras, Volſcorum urbem a Romanis devictam, utroque conſilio mittendam esſe coloniam decernebatur (307). Livius (308) testatur: viſum fuisſe, *Antium, propinquam, opportunam et maritimam urbem, coloniam deduci posſe: ita ſine querelis posſesſorum plebem in agrum ituram, civitatem in concordia fore.* Et alibi (309): ſeditionis *leniendae cauſa coloniam in Volſcos, quo tria millia civium Romanorum ſcriberentur, deducendam* esſe. Hinc, cum generatim a Romanis esſet receptum, optime hoc conſilio colonias deduci, et nulla non commoda ex iis civitati proventura, hinc, inquam, P. Rullus, ut legem a

(304) MINUCIUS apud DION. HAL. VII. 28.
(305) DION. HAL. IV. 24.
(306) LIVIUS I. 56.
(307) DION. HAL. VII. 13.
(308) LIVIUS III. 1.
(309) LIVIUS V. 24.

a se latam perferendam suaderet, a Cicerone fertur dixisse in senatu: *urbanam plebem nimium in republica posse: exhauriendam esse* (310). Ipse autem Cicero ad Atticum scribit, se suasisse, ut lex Flavia agraria perferretur, quia ea perlata, et agrorum emtione constituta, et sentinam urbis exhauriri, et Italiae solitudinem frequentari posse, arbitrabatur (311). Multae igitur hoc consilio deductae sunt coloniae, in primis vero ante Punicum bellum secundum. » Deinde enim (312), neque dum Hannibal in » Italia moratur, neque proximis post excessum » eius annis, vacavit Romanis colonias condere, » cum esset in bello conquirendus potius miles » quam dimittendus; et post bellum vires re» fovendae magis, quam spargendae."

L. Cornelio Sulla auctore, aliud denique invaluit coloniarum genus, ab illarum, quae antea deductae erant, genere, tum consilio, tum auctoritate, qua deducebantur, plane diversum, scilicet *militarium*, quarum et caussas et auctores, ipsarumque nomina praefulgis-

---

(310) CICERO *de Leg. Agr.* II. 26.

(311) *Idem. Ep. ad Att.* I. 19.

(312) Sunt verba VELLEII PATERCULI I. 15. Ceterum de toto hoc argumento cf. CAR. SIGONIUS *de Ant. Iur. Ital.* II. 2.

fisse, dicit Velleius (313). Sulla autem, Mario devicto, ut militibus veteranis, qui pro se contra hunc steterant, debita praemia solveret, eos agris earum civitatum, quae Marii partibus faverant, donavit (314). Livius (315) notat, Sullam quadraginta septem legiones in agros captos deduxisse, eosque militibus divisisse. Voluit scilicet, ut veterani, praeliorum diuturnitate fessi, laborum suorum caperent fructum. Cuius rei memor Lucanus scribit (316):

» Quae sedes erit emeritis, quae rura dabun-
» tur,
» Quae noster veteranus aret, quae moenia
» fessis?"

Hoc institutum Sullae deinceps imitatione non caruit. I. enim Caesarem multas militares colonias deduxisse, tum ex Bruti verbis, tum aliunde patet (317). De Casilino, ut exemplum ex pluribus afferam, illud testatur Cicero: » De» duxisti coloniam Casilinum," inquit (318), » quo » Cae-

---

(313) VELL. PATERC. I. 14.

(314) Alias causas indicat POPMA ad VELLEIUM PATERC. l. c.

(315) LIVIUS *Epit. lib.* LXXXIX.

(316) *Phars.* I. vs. 344.

(317) Apud APPIANUM *de Bello Civ.* II. c. 140. ed. Schweigh. cf. HYGINUS *de lim. constit.* p. 160.

(318) *Philip.* II. 40.

» Caesar ante deduxerat." Huius autem vestigia, in agris veteranis assignandis, secutus est non tantum Antonius (319), sed etiam Octavianus, atque hic in primis, postquam, victo ad Actium Antonio, summa rerum, et totius paene orbis terrarum imperium ad eum venerat. Quid enim Augusto imperante frequentius, quam coloniarum deductio, siquidem tradit Suetonius, duodetriginta coloniis deductis, Italiam eum frequentasse (320). Utrum autem eas solum intelligat Suetonius, quas Imperator deduxit, an vero et eae, quas antea triumvir deduxerat, inter illas numerandae sint; quaeri potest. Hunc morem semel usurpatum non intermiserunt Tiberius, quique eum secuti sunt Imperatores, in eo tamen ab Augusti coloniarum deducendarum ratione recedentes, quod cum hic non singulos milites colonos deduxisset, sed totas legiones cum tribunis et centurionibus, illi ex multis legionibus singulos milites in aliquam urbem colonos miserunt. » Non, ut olim," inquit Tacitus (321), » universae legiones deducebantur, cum tribunis » et

(319) CICERO l. c.
(320) SUETON. in vita c. 46. DIO. CASS. LI. p. 509. ed Xylandri. HYGIN. l. l.
(321) TACIT. *Ann.* XIV. 27.

» et centurionibus, et ſuis cuiusque ordinis » militibus, ut conſenſu et caritate rempu-» blicam efficerent: ſed ignoti inter ſe, di-» verſis manipulis, ſine rectore, ſine affecti-» bus mutuis, quaſi ex alio genere mortalium » repente in unum collecti; numerus magis » quam colonia." Coloniarum militarium deducendarum morem a ſequentibus Imperatoribus diu etiam postea retentum esſe, ſatis conſtat. Sub Alexandro Severo et Probo, militibus veteranis praedia, ab hoste capta, ea lege fuisſe data accepimus, ut militarent (322), atque cum ea propria feudorum fuerit conditio, horum originem inde esſe repetendam, nonnulli autumant.

Quod ſuperest, coloniae, in quas milites mittebantur, ut pro meritis, in rempublicam vel viros quosdam principes collatis, praemia acciperent, *Sagatae* dicebantur, quum ceterae, quae S. Pque iusſu deducebantur, *Togatae* appellarentur.

§

(322) Vid. LAMPRIDIUM *in Alexandro Sev.* c. 58. VOPISCUM *in Probo* c. 16. Cf. l. 15, § 2. D. *de rei vind.* l. 11. D. *de Evict.*

§ 2.

De modo, quo Romani colonias deducebant.

Ad colonias proprie ita dictas nostra disputatio pertinet, quae quum ipſius civitatis auctoritate deducerentur, hac in re earum cum ſeceſſionibus, quae aliquoties acciderunt, discrimen cernitur. Variis vero reipublicae Romanae temporibus, non ſub eorumdem auſpiciis deducebantur. Tempore, quo Roma regibus parebat, horum auctoritate coloniae deductae videntur. Haec tamen ne ita intelligantur, ac ſi ſuo ipſi haec fecerint arbitrio, quod certe volunt ii, qui regibus Romanis ſummum, nullis limitibus circumſcriptum, imperium tribuunt. Verius quippe videtur, reges, uti in multis aliis rebus, ad publicum ſtatum pertinentibus, ita etiam in coloniis condendis Senatum conſuluiſſe. Hunc enim honorem Romulum Senatui tribuiſſe conſtat, cum ei concederet: *περὶ παντὸς ὅτου ἂν εἰσηγῆται βασιλεὺς, διαγινώσκειν τε καὶ ψῆφον ἐπιφέρειν, καὶ ὅ, τι ἂν δόξῃ τοῖς πλείοσι τοῦτο νικᾷν* (323). Quid autem clarius Ciceronis verbis (324)? qui ſub

(323) DIONYS. HAL. II. 14.
(324) CICERO *de Republ.* II. 8.

ſub perſona Scipionis docet, Romulum, ut ab initio et deinde ſimul cum Tatio, ita eo interfecto multo etiam magis auctoritate Patrum et conſilio regnasſe; » cum videret (ita pergit), » ſingulari imperio et potestate regia, tum me- » lius gubernari, et regi civitates, ſi esſet opti- » mi cuiusque ad illam vim dominationis ad- » iuncta auctoritas." Et quamvis tradit idem Cicero, Romae, quo tempore reges erant, ut in omni alia republica, ubi est unus aliquis perpetua potestate, regium nomen excelluisſe, regiamque potestatem omni alia eminuisſe, ſenatui tamen et populo ſuam cuique auctoritatem tribuit et potestatem (325). Sed quid amplius ſolliciti ſimus, quum exempla proſtent bene multa? Nam ex Patrum conſilio Romulus legatos circa vicinas gentes miſit, qui ſocietatem connubiumque novo populo peterent (326). De raptu Sabinarum virginum ad ſenatum retulit (327). Et Romulum etiam de coloniis condendis ſenatum conſuluisſe, testantur coloniae, in urbes Caeninenſium et Antemnatium ductae (328). Regibus autem exactis co-

(325) CICERO *de Republ.* II. 23 et 28.
(326) LIVIUS I. 9.
(327) DION. HAL. II. 30.
(328) DION. HAL. II. 35. Hunc morem ſenatus in publicis rebus conſulendi deinceps a regibus retentum fuisſe, discas ex DIONYSIO HAL. III. 16, 26, 28, 31, etc.

coloniae deducebantur ex ſenatus populique auctoritate. Sed a ſcriptoribus in aliis locis ſenatus tantum (329), in aliis ſenatus et populi fit mentio (330). Non tamen ideo crediderim, uti nonnullis placet, omnia, ad colonias deducendas pertinentia, ſtatim post eiectos reges penes ſenatum tantum fuisſe, et deinceps ab alterutro ſive a ſenatu ſive a populo eas deductas fuisſe. Sed ita ſtatuendum existimo, et ab initio liberae reipublicae, immo iam ſub regibus, et deinceps penes utrumque hac de re iudicium fuisſe; ut ſcilicet ſenatus decerneret coloniam esſe deducendam, quo, quomodo, qui et quot eius esſent ſocii, qua conditione hi in eam mitterentur, cet.; populus vero magistratus crearet coloniae deducendae praeficiendos, » quia cum omnes » potestates (331), imperia, curationes ab uni» verſo populo Romano proficisci convenit, tum » eas profecto maxime, quae conſtituuntur ad » populi fructum aliquem et commodum." Conſtat enim, Romulum, in ordinanda civitate, potestatem cum legum ſanciendarum deque bello ac pace decernendi, tum etiam *magistratuum cre-*

---

(329) DION. HAL. VII. 13. LIVIUS IV. 11, VIII. 16, IX. 28, XXXVII. 57.

(330) LIVIUS XXXIV. 53, XXXV. 40.

(331) Sunt CICERONIS verba *de Leg. Agr.* II. 7.

creandorum populo concesſisſe, atque hunc post reges eiectos illam potestatem retinuisſe (332). Neque obſtat, quod Velleius Paterculus, cum dixerat, ſe indicaturum, quaenam coloniae iusſu ſenatus fuisſent deductae, huius ſolummodo faciat mentionem (333): hoc enim in loco ſenatum nuncupat, ut huius coloniae *militaribus* opponantur, de quibus ſe non esſe dicturum ait. Hunc autem locum, non ita esſe interpretandum, ac ſi ſenatus ſua ſolus auctoritate eas deduxerit, ex ipſis, quas deinceps enumerat, coloniis palam est. Scilicet inter eas nuncupat colonias, Puteolos, Salernum et Buxentum misſas, de quibus C. Acilium tribunum plebis ad populum tulisſe, auctor est Livius (334).

Ut igitur reipublicae liberae temporibus colonia posſet deduci, omnino ſenatusconſulto opus erat, et lege ſive potius plebiscito. Deinceps enim tribunorum plebis potestas adeo crevit, ut has etiam res ſibi vindicarent. In Livii loco, quem modo exhibui, huius rei exſtat exemplum. Ita etiam Vibonem colonia deducta est ex ſenatusconſulto plebeiqueſcito

(332) Dion. hal. II. 14, VI. 66.
(333) Vell. paterc. I. 14.
(334) Livius XXXII. 29.

to (335). Utrumque, tum ſenatusconſultum, tum plebiscitum, uno legis nomine comprehendebatur, quae *lex agraria* dicebatur. Haec autem plura habebat capita. Agrum enim, qui esſet dividendus, definiebat, et *quibus* et *inter quot*, et *per quos*, et *quomodo*, et *quibus limitibus* esſet dividendus (336). In dividundis autem agris, ordinis tribuum ratio habita fuisſe videtur; ut ſcilicet primum urbanis, deinde rusticis ſua cuique asſignarentur loca. Si quidem haec est ratio, cur Cicero Rullum vituperaverit haec negligentem. » Quaeſivi," inquit (337), » ex eo Kalendis Jan. quibus hominibus et quem» admodum illum agrum esſet distributurus. » Respondit, a Romilia tribu ſe initium factu» rum. Primum, quae est ista ſuperbia et con» tumelia, ut populi pars amputetur, ordo tri» buum negligatur? ante rusticis detur ager, » qui habent, quam urbanis, quibus ista agri » ſpes et iucunditas ostenditur?"

Colonorum numerum pro regionis magnitudine definire ad ſenatum pertinuit. Quo facto ii, qui agrum accipere vellent, nomina dare iube-

(335) Livius XXXV. 40.

(336) Cicero *de Leg. Agr.* I. 5, II. 27 in verbis: *tu non definias*, cet. Sigonius *de Ant. Iur. Ital.* II. 2.

(337) Cicero *de Leg. Agr.* II. 29.

bebantur, (338) quorum numerus ſi maior minorve esſet, ad ſortem ſaepius confugiebant; iis autem, qui ſorte ducta ire negarent, gravis mulcta imponebatur (339). Magistratus, ſive curatores coloniarum, ſive quocunque alio nomine eos appelles (340), a Conſule (341), nonnumquam etiam a Praetore Urbano creabantur in comitiis tributis, omnibus tribubus convocatis. Unde Cicero, cum Rullus iusſisſet, *decemviros per ſeptemdecim tribus creari*: » toties," inquit, » legibus agrariis curatores conſtituti ſunt, triumviri, quinqueviri, decemviri: quaero a populari tribuno plebeio, ecquando niſi per 35 tribus, creati ſint" (342). In his comitiis potestatem ac iurisdictionem accipiebant, in *curiatis* vero imperium, uti ex veteri mandandi imperii more apparet, et ex Rul-

---

(338) LIVIUS I. 11, III. 1.

(339) Exemplo ſit colonia Velitras deducta. Cum enim multi colonorum ſorte lecti, pestem ſecum reputantes, quae in urbe ſibi destinata grasſata erat, in patria manere mallent, factum est Sctum, uti gravisſima poena afficerentur, qui ſorte lecti in colonias proficiſci recuſarent. Vide DION. HAL. VII. 13. LIVIUM II. 31.

(340) Dicebantur enim a munere, quod obibant, *Triumviri ad coloniam deducendam*, *agro dando*, *agro metiundo*, *dividundo*, *Triumviri agrarii*, *auctores diviſionis* cet.

(341) LIVIUS XXXII. 2.

(342) CICERO, *de Leg. Agr.* II. 7.

Rulli exemplo, qui lege curiata magistratum ante imperio ornavit, quam comitiis esſet datus, quamobrem illud *inauditum*, et *plane novo more* dixit Cicero (343. Curatores imperio fuisſe ornatos, ex Livio discas, qui notat, triumviris, coloniis Latinis duabus, una in Bruttios, altera in Thurium creatis, in triennium imperium datum esſe (344). Curatores illi ſive magistratus ex numero, quo erant, dicebantur triumviri (345), quinqueviri (346), ſeptemviri (347), decemviri (348); immo deinceps vigintiviri invaluerunt, quales creavit Caeſar (349). His magistratibus per tempus, lege agraria definitum, ſumma et plenisſima concedebatur potestas, ab ea, quam proconſules aut propraetores in provinciis exercebant, non abſimilis. Ita lege Acilia in triennium triumviris concesſum est imperium (350). Quod etiam eve-

(343) Cicero *ibidem*. II. 10.

(344) Livius XXXIV. 53.

(345) Liv. III. 1, IV. 11, VIII. 16, IX. 28, XXXIV. 45, 53. Dion. hal. IX. 59. et pasſim.

(346) Livius VI. 21.

(347) Tales creavit Conſul M. Antonius, eorumque meminit cicero *in Philipp.*, pasſim.

(348) Cicero *de Leg. Agr.* II. 35. quos alibi cum contemtu *decem reges* vocat. *ibid.* II. 6 et 11.

(349) Dio cass. XXXVIII. p. 65.

(350) Livius XXXII. 29.

evenit triumviris, coloniis in Bruttios et in Thurinum agrum deducendis creatis (351). Ita Rullus lege sua, (quae tamen non perlata est), decemviris quinquennium tribuerat, ita quidem, ut vel de consulibus, vel de ipsis tribunis plebis iudicare iis liceret, de illis interea iudicium ferre nemini esset integrum (352). Quo tempore praeterlapso, coloniae magistratus suum ipsi auspicabantur imperium. Coloniae deducendae etiam adiungebantur, qui, postquam in agros venissent, suas quique ibi profiterentur artes. Nuncupat Cicero apparitores, scribas, librarios, praecones, architectos, pullarios, ianitores, vel ut alios legi malle video, *finitores* (353); quod facile intelligitur, modo cogitemus, quanta tum in limitibus constituendis, tum in ceteris rebus opera sit collocanda. Nam quamvis agri, in quem colonia erat deducenda, limites lege fere constituerentur, qua de re plura exstant legum capita (354), agrorum tamen dividundorum negotium illis committere satius videbatur.

O-

---

(351) LIVIUS XXXIV. 53.

(352) CICERO *de Leg. Agr.* II. 13.

(353) CICERO l. l. De hisce vide, qui de rebus agrariis scripserunt, SICULUM FLACCUM *de condit. agr.* FRONTINUM *de coloniis*, HYGINUM *de limit. constit.* alios.

(354) Nonnulla enumerat SIGONIUS l. l.

Omnibus ad coloniam deducendam necessariis peractis, colonia sub vexillo, quasi exercitus deducebatur. Huius moris meminit Appianus (355), ex quo etiam patet, e curatoribus unum aliquem ducem fuisse. Memorat illud etiam Cicero, ubi: » tunc illud Cam» panae vexillum coloniae," inquit, » vehemen» ter huic imperio timendum, Capuae a de» cemviris inferetur" (356). In locum autem destinatum cum pervenerant, urbs et ager circumscribebantur aratro (357); quo peracto co-

(355) Appianus *de Bello Civ.* II. 13.

(356) Cicero *de Leg. Agr.* II. 32. cf. *Philipp.* II. 40.

(357) Cicero l. l. „Casilinum coloniam deduxisti, quo „erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres et ara„trum circumduceres." Moris enim erat, ut, si urbs esset condenda, primum aratro murorum limites designarentur. Hinc Ovidius:

„Apta dies legitur, quae moenia signat aratro" Fast. IV. vs. 825.

et paulo post:

„Inde premens stivam, designat moenia sulco,
„Alba iugum niveo cum bove vacca tulit."

Et Virgilius:

„Interea Aeneas urbem designat aratro,
„Sortiturque domos."

Quod de Romulo etiam tradit Dionysius I. 88. Haec autem omnia in condendis coloniis etiam observabantur a colonis, novam quasi urbem conditoris, uti satis patet ex Ciceronis loco modo laudato. Praeterea huc pertinet Varronis locus, *de Ling. Lat.* lib. IV.: „Oppida, quae prius „cir-

colonis ſua cuique agri pars asſignabatur, in qua domum aedificaret; quod indicat Virgilius, ubi canit (358):

» Pars optare locum tecto et concludere ſulco"

Hinc illi architecti, ianitores, aut, ſi mavis, finitores, de quibus diximus; atque hinc agros coloniarum *diviſos* et *asſignatos* dictos fuisſe, monet Frontinus.

Cum, quod ſuperest, omnes alicuius momenti res apud Romanos, non niſi auſpicato, factisque ſacrificiis peragerentur, omnia etiam, quae ad coloniam deducendam pertinerent, auſpicato, factisque ſacrificiis fiebant, addita lustratione; quod indicat Cicero, ubi: » Negavi," inquit, » in eam coloniam, quae esſet auſpicato deducta, » dum esſet incolumis, coloniam novam iure » deduci .... tu autem inſolentia elatus, omni » auſpiciorum iure turbato, Caſilinum coloniam » deduxisti, quo erat paucis annis ante dedu- » cta" (359). Quam ob cauſam fortasſe cum colonis pullarii proficiscebantur. Hic mos, ſi roget quis, unde originem habeat, illum a Romu-

„circumducta erant aratro, ab orbe urbes. Et ideo coloniae „nostrae, ut urbes conduntur, quod intra pomoerium po- „nuntur." Hinc in nummis veteribus tum ſigna militaria, (ſi coloniae esſent militares) tum aratra inveniuntur.

(358) VIRG. *Aen.* I vs. 425.

(359) CICERO *Philipp.* II. 40.

mulo ad posteros manasse, Sigonium secutus, non absurde statueres; cum Romulus coloniam suam auspicato et addita lustratione deduxerit. Ceterum ex Ciceronis verbis efficere licet, nefas fuisse, coloniam iterum eo deducere, quo antea iam fuerat auspicato deducta.

§ 3.

De modo, quo Romani colonias constituebant, deque earum cum metropoli necessitudine.

Cum igitur colonias, usquedum in novas sedes pervenerant, comitati simus, age paulisper in his moremur, ut nobis interna illarum ratio pateat eiusque vinculum cum urbe Roma. Primo loco tenendum est, colonias Romanas semet ipsas non constituisse, sed totam civitatis formam ab ipsa metropoli accepisse, atque huius auctoritate cunctas fuisse institutas. Qua potissimum in re eas inter et municipia discrimen cernitur, quippe quae suis legibus utebantur et institutis. Hoc discrimen notat Aulus Gellius. » Coloniarum," inquit, » alia necessitudo est (quam municipiorum); non enim » veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis » radicibus nituntur, sed ex civitatibus quasi » propagatae sunt, et iura, institutaque om-

» nia *Populi Romani*, *non ſui arbitrii* ha-
» bent" (360).

Coloniae, a Romanis deductae, non iisdem omnes utebantur iuribus. Erant enim vel *Civium Romanorum* vel *Latinae:* quo discrimine nil frequentius apud auctores, apud Livium praeſertim; qui tangit illud, ubi dicit: » Illud agita-
» bant, ut colonia Aquileiam deduceretur, nec
» ſatis conſtabat, utrum *Latinam*, an *civium*
» *Romanorum* deduci placeret; postremo *La-*
» *tinam* potius coloniam deducendam Patres cen-
» ſuerunt" (361); et alibi: » Bononia," inquit,
» *Latina* deducta est, Parma et Mutina *civium*
» *Romanorum.*" Sunt qui existiment, *Latinas* colonias fuiſſe, in quas homines ex Latio esſent adſcripti, alii vero putant, eas fuiſſe, quae in Latio esſent conditae. Non tamen equidem discrimen quaererem in loco, ex quo, aut in quem coloniae deducerentur, quippe quod Livii auctoritati adverſatur. Sed potius Sigonium ſecutus ſtatuerem, discrimen fuiſſe in vario, quo ſingulae uterentur, iure. Non enim tantummodo coloniae Latinae fuerunt, in quas Latini erant adſcripti, ſed etiam quo cives Romani erant deducti. Si quidem Livio fidem tribu-

(360) A. Gellius N. A. XVI. 13.
(361) Livius XXXIX. 55. cf. XXXIV. 45. 53.

buamus, qui magistratus colonias *Latinas*, quae bello Punico secundo defecerant, sic alloquentes inducit: » admonerent (suos) . . . eos » esse *Romanos* . . . inde in coloniam . . . missos" (362). Neque etiam in *Latio* tantum conditae erant coloniae *Latinae*, cum memoriae prodat Livius, Aquileiam et Bononiam *Latinas* colonias fuisse deductas.

Quaenam autem iura coloniae *civium Romanorum* habuerint, inter eruditos non convenit. Alii putant, eas pleno civitatis iure, tam publico quam privato, gavisas esse (363); alii vero ius Quiritium iis tantum tribuunt (364). » Quoniam enim (sunt verba Sigonii) ius Latii iuri » Quiritium, et Latinae coloniae civium Romanorum opponuntur, ob eam causam fit, ut » probe concludi possit, si Latinae coloniae » sunt, quae ius habent Latii, Romanas esse, » quae donatae sunt iure Quiritium." Hoc autem iure privata iura civium Romanorum continentur, veluti libertatis, connubiorum, patrium, dominii, hereditatis, mancipii, usucapionis, testamentorum, tutelae, cet.

Coloniae ergo, quae ius Quiritium sive iura civi-

---

(362) LIVIUS XXXVII. 9. cf. CICERO *pro domo* c. 30.
(363) MANUTIUS *de civit. Rom.*
(364) SIGONIUS l. l. II. 3.

vium Romanorum privata habebant, Romanae erant coloniae. Non desunt quidem, ex quibus effici posse videatur, colonias omnia iura, tam publica quam privata, retinuisse. Immo *cives Romani* saepius dicuntur: Ut Veliterni, quos *veteres cives Romanos* appellat Livius (365). Quidni? quatenus enim omnia iura civitatis non amiserant, ita dici possunt, dummodo optima iura iis non tribuas; tametsi quatenus iurium partem amiserant, nomine magis quam re cives fuerunt Romani. Hinc illa Livii: » Novum ius eo anno a Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, cives Romani essent. Puteolos, Salernumque et Buxentum adscripti coloni, qui nomina dederant, cum ob id se pro civibus Romanis ferrent, Senatus iudicavit, non esse eos cives Romanos" (366).

Colonias autem civium Romanorum deterioris ipsis civibus conditionis fuisse, ex Cicerone colligas: » Hi sunt," inquit » homines ex iis coloniis, quas Sulla constituit, quas ego universas civium esse optimorum et fortissimorum virorum sentio; sed tamen hi sunt coloni etc." (367); et clarius Dio Cassius, ubi de Caesa-

(365) Livius VIII. 14. Cf. VI. 21.
(366) *Idem*. XXXIV. 42.
(367) Cicero *in Cat*. II 9.

ſare ait: *ἔδωκε πολιτείαν δὲ τισὶ, καὶ ἄλλοις ἀποίκους τῶν Ῥωμαίων νομίζεσθαι* (368). Ubi civitas iuri coloniarum civium Romanorum opponitur, ut adeo veroſimilius videatur, colonias civium Romanorum iura publica, ut ſuffragiorum, magistratuum Romae gerendorum, cet., amiſisſe (369). Ut autem coloniae civium Romanorum fuerunt illae, quae iure Quiritium esſent donatae, ſic coloniae Latinae fuerunt, quae Iure Latii uterentur. Hoc ius iure Quiritium erat minus, adeo ut hae plura quam illae iura amitterent: immo cives Romani in Latinam coloniam deducti mediam patiebantur capitis diminutionem (370). Ita enim intelligendus est Cicero, ubi dicit (371): » Civitatem vero nemo » unquam ullo populi iusſu amittit invitus; qui » cives Romani in colonias Latinas proficiscebantur, fieri non poterant Latini, qui non erant » auctores facti nomenque dederant;" et alibi (372): » certe quaeri hoc ſolere," inquit, » me non praeteriit, ut ex me quae tibi in mentem non veniunt audias; quemadmodum, ſi » ci-

(368) Dio cassius XLIII, p. 233.
(369) Spanhemius *Orb. Rom.* I, § 9.
(370) Cf. boethius *in Topic.*
(371) Cicero *pro domo* c. 30.
(372) Cicero *pro Caecina.* c. 33.

» civitas adimi non posſet, in colonias Latinas » ſaepe nostri cives aut ſua voluntate, aut le- » gis mulcta profecti ſunt."

Hoc igitur, opinor, discrimen fuit inter coloni- as civium Romanorum et Latinas, illudque ma- gis poſitum fuisſe in iure, quo uterentur, quam in loco, ex quo, aut in quem esſent deductae.

Fuerunt praeterea coloniae iure, quo uteban- tur, deteriores; coloniae ſcilicet *Italici iuris*, quae tamen melioris erant conditionis, quam *Provinciales*. Quamvis autem coloniae Italicae multa haberent cum Latinis communia, in eo tamen iis longe inferiores fuerunt, quod Ita- licis non esſet data civitas, uti Latinis foedere Casſiano, niſi post legem Iuliam A. U. 663 la- tam; quod ante hanc legem iis non liceret Ro- mae ſuffragia ferre, magistratus gerere, neque civitas Romana iis pateret, in quo ius Latii maxime conſtitit (373). Provincialibus vero ſu- periores erant, tributorum immunitate (374). Illi enim tributa pendere debebant, licet non- numquam ab iis esſent immunes (375). At- que hac ratione ius Italicum, quod nonnullae ha-

(373) SIGONIUS *de ant. Iur. Ital.* I. 21.
(374) Vid. l. *ult.* D. *de Cenſib.*
(375) Vid. l. *ult.* § 7. D. *eodem.* Cf. BYNKERSHOEKIUS *Obſ. Iur. Rom.* V. 21.

habebant coloniae, et ius provinciale, quo aliae utebantur, fuerunt oppofita.

Coloni igitur, qui a Romanis deducebantur, non eodem iure, quo antea erant, manferunt, fed eorum etiam, qui felicioribus proficiscebantur conditionibus, quamvis verbo quidem et nomine ius civitatis retinuerunt, re tamen illud amiferunt; cum alii illo plane privarentur. Unde patet, quantopere Romani, a regulis univerfalibus aequitatis et iuftitiae in coloniis deducendis recesferint, quae docent, eos, qui metropolin, non invita civitate, immo fub eius aufpiciis, neque fuo tantum, fed et totius civitatis commodo, relinquant, eiusdem manere iuris et conditionis atque ii, qui in metropoli maneant.

Coloniae Romanae fuas quaeque habuerunt leges, easque fere diverfas ab iis, quibus ipfa metropolis utebatur: quas tamen fibi ipfae non fcribebant, fed ab Romanis acciepiebant: quo pertinent Gellii verba fupra expofita: *iura inftitutaque populi Romani, non fui arbitrii habent.* Triumviris autem, five generatim curatoribus, negotium dabatur coloniarum legibus inftruendarum: » Ut enim » legati (376) a fenatu decreti provincias or» di-

(376) Sunt verba SIGONII l. l. II. 4.

» dinabant, iisque leges ac iura praefcribebant, » fic curatores coloniarum coloniis."

In coloniis civitatis forma ad fimilitudinem Romanae erat conftituta. Ut enim Romae, fi parva liceat componere magnis, fic etiam in coloniis concilium fuit Senatus et Populi. Senatus dicebatur *Curia five Collegium Decurionum*. Nihil in marmoribus frequentius est quam: DEC. COL.; immo nonnumquam ipfius etiam *Senatus* nomine venit. Unde colligit Sigonius, nonnullas etiam leges a Senatu et populo fuisfe latas. Opinor tamen, eas aut ad ius privatum pertinuisfe, aut fi ad ius publicum, eas, ut vim haberent, Romanorum confirmatione indiguisfe. Concilii autem focii *Decuriones* dicebantur, quod docet Cicero, ubi dicit (377): conventum Capuae antea praefecturae, deinceps colonia eo deducta, mutato nomine, *decuriones* fuisfe dictum. Pomponius Ictus notat, quosdam autumare, eos ita dictos fuisfe: » Quod initio, cum coloniae deducerentur, decima pars eorum, qui ducerentur, confilii publici gratia confcribi folita fit" (378). Quamquam certo dici nequit, quot, et num eodem numero in omnibus coloniis fuerint. Centum faltem in nonnullis fuisfe, ftatuere licet, cum

(377) CICERO *pro Sextio* c. 4. Cf. SUETON. *in Aug.* c. 46, 101.

(378) Vid. l. 239, § 5. D. de V. S.

cum illud de Capua memoret Cicero (379). Ex decurionibus praecipui creabantur magistratus, ita ut, qui hoc honore non fuisset functus, alios magistratus adire non posset: » Is qui non » fit Decurio," inquit Paulus ictus (380), » duumviratu vel aliis honoribus fungi non po- » test, quia decurionum honoribus plebeii fungi » prohibentur." Ex quibus verbis, in coloniis item Senatores ex optimatibus fuisse creatos, satis constaret, nisi aliunde sciremus, in decurionibus legendis census fuisse habitam rationem, qui erat centies mille. Ita enim Plinius (381). » Esse autem tibi centum millium censum sa- » tis indicat, quod apud nos decurio es."

Primi coloniarum magistratus erant *Duumviri*, quos memorat Paulus in loco modo laudato, quique fere Consulibus aut Praetoribus Romanis similes fuisse videntur, ut ex eorum insignibus, fascibus cet. apparet (382). Hinc consulum aut praetorum nomine nonnumquam veniunt. Statuam fuisse erectam, apud Gruterum invenio, SEXTO. AELIO. MAMERCO. COLONIAE. ASTIGITANAE. CONSULI. Eos prae-

(379) CICERO *de Leg. Agr.* II. 35.
(380) Vid. l. 7, § 2. D. *de decur. et fil. eor.*
(381) PLINIUS *Epist.* I. 19.
(382) CICERO *de Leg. Agr.* II. 34.

praetores nonnunquam fuisſe dictos, teſtatur Cicero, qui, Campanorum fastos deſcribens, narrat: *praetores* eos ſe appellari voluisſe, cum ceteris in coloniis Duumviri appellarentur (383).

Cenſores in coloniis iidem erant qui Romae, qui in illis, aeque ac Cenſores in urbe, cenſum agerent. Suos ſingulis coloniis cenſores fuisſe, noli dubitare propter Livii verba: » Duodecim deinde coloniarum, (quod numquam » antea factum erat) deferentibus ipſarum co- » loniarum cenſoribus, cenſum acceperunt: ut, » quantum numero militum, quantum pecunia » valerent, in publicis tabulis monumenta ex- » ſtarent" (384). Senſus huius loci egregie elucescit ex iis, quae de iisdem illis coloniis alibi refert Livius, adeo ut, ex harum coloniarum exemplo, argumento a contrario petito, ceterarum hac in re ratio non obſcure appareat. Scilicet duodecim illae coloniae milites dare abnuerant, et annum iam fere ſextum vacationem militiae habuerant; quod cum reputaret Senatus, cumque ceterae coloniae continuis omnium annorum delectibus exhaustae esſent, decrevit inter alia: ut, quantum quaeque earum coloniarum militum plurimum dedisſet Populo Roma-

(383) Cic. l. l.
(384) Livius XXIX. 37.

mano, ex quo hostes in Italia esſent, duplicatum eius ſummae numerum peditum daret, et equites centenos vicenos: ſtipendium praeterea iis coloniis millia in aeris asſes ſingulos imperaretur et exigeretur; denique, quo haec facilius fierent, ut cenſus in iis coloniis ageretur, ex formula a Romanis cenſoribus data. Placuit autem eandem dari quam populo Romano, deferrique Romam ab iuratis cenſoribus coloniarum, priusquam magistratu abirent (385). Videmus igitur, haec omnia in poenam duodecim illis coloniis fuisſe decreta, atque hoc decreto ſingulare quid contineri, quod ad illas tantum pertineret. Ceterae ergo coloniae, quae in fide et obſequio Romanorum manſerant, ſuum ipſae cenſum, tum antea, tum deinceps egerunt; adeo quidem, ut ne rationibus quidem hac de re Romanis reddendis esſent obnoxii. Monet enim Livius, *numquam antea factum fuisſe*, ut Romani coloniarum cenſum acciperent. Ceterum, ut hoc verbo moneam, veluti in coloniis omnia ad exemplum fere ipſorum Romanorum fiebant, ſic ut quaeque earum alteram minorem Romam referre videretur, ita et coloniarum cenſores Romanorum, in cenſu agendo, exemplum fuisſe ſecutos, et iisdem

(385) Livius XXIX. 15.

dem, quibus Cenſores Romani, formulis uſos fuisſe, veroſimilius videtur.

Praeter hos fuerunt Aediles et Quaestores, quorum in nonnullis marmoribus antiquis mentio invenitur. Ceterum magistratus coloniarum toga praetexta uſos fuisſe, totidem verbis narrat L. Valerius trib. pl. (386).

Sacra in coloniis eadem fuerunt, quae Romae, niſi quod coloni his adiunxerint ea, quae propria esſent iis locis, in quae coloniae fuisſent deductae. Quamobrem ſuos quaeque habebant Sacerdotes, Augures et Pontifices. Quod Cicero inter alia de Capua testatur: » Huc," inquit, » decemviri cum numerum colonorum ex lege » Rulli deduxerint, centum decuriones, decem » augures, ſex pontifices conſtituerint" (387). Quamvis in hoc loco numerus definiatur; utrum tamen ſacerdotum numerus in omnibus coloniis certus fuerit et definitus, an vero varius pro coloniae cuiusque magnitudine, certo dici nequit.

Cum igitur tanta esſet coloniarum cum urbe ſimilitudo et convenientia, non immerito *effigies parva et ſimulucra populi Romani* illae dicantur (388). Ex

(386) *Apud eundem* XXXIV. 7.
(387) CICERO *de Leg. Agr.* II. 35.
(388) A. GELLIUS N. A. XVI. 13.

Ex eadem illa convenientia arctissimum vinculum inter metropolin et colonias derivandum est, uti et officia, quae coloniae Romanis debebant. Quod iam Suffetius, Albanorum dictator, ipsis Romanis, illorum colonis, significat, consueta hac in re comparatione usus: ὅσης γὰρ, inquit, ἀξιοῦσι τιμῆς τυγχάνειν οἱ πατέρες παρὰ τῶν ἐγγόνων, τοσαύτης οἱ κτίσαντες τὰς πόλεις παρὰ τῶν ἀποίκων (389). Hinc magistratus Romani coloniis Latinis, quae negaverant sibi esse, unde milites pecuniamque darent, inter alia haec increpant: quae liberi parentibus deberent, ea illos Romanis, si ulla pietas, si memoria antiquae patriae esset (390). Hoc vinculum eo arctius fuit, propter ius patronatus et clientelae, quod, cum initio ex instituto Romuli in urbe tantum obtinuisset, deinceps etiam, tum ad alias civitates socias, tum ad colonias propagatum est (391). Scilicet coloniae suos habebant Romae patronos sive custodes, quorum essent in clientela.

Quamquam haec coloniarum cum urbe Roma necessitudo pietate atque amore erga se invicem aut memoria communis originis non adeo erat in-

(389) Apud DIONYS. HAL. III. 7.
(390) LIVIUS XXIX. 9.
(391) DION. HAL. II. 11. Cf. mea dissertatio *de Patronatu et Clientela Romanorum* pag. 91 seq.

innixa. Romani iura coloniarum non ignorarunt quidem, et Tullus Hostilius rex ipſe dixerat, (uti ſupra vidimus) oportere omnino colonias ſuorum conditorum imperio parere, quaſi hoc ſit lege quadam naturae neceſſaria conſtitutum, neque verum, neque aequum eſſe. Utinam tamen ab hisce regulis non longius ſemper receſſiſſent! Conſtans enim Romanis conſilium fuit, ut colonias ſibi obnoxias haberent. Quod neminem fugiat, dummodo attente eorum coloniarum rationem conſideret, et modum quo eas aut deduxerint, aut conſtituerint; quod ſi quis fecerit, non erit quod vehementer miretur, qui fieri potuerit, ut Romani colonias adeo ſibi parentes et obnoxias haberent. Haec enim Romanorum prudentiae civili laus tribuenda est, quod nullam deduxerint coloniam, niſi certo aliquo conſilio, et omnium, quotquot condiderunt, ſortem ac conditionem lege agraria conſtituerint. Emiſſi autem eo iam deterioris erant iuris ac conditionis, quod omnes iurium partem amittebant; heu nimium felices, ſi, amiſſis aliis, ceteris ſibi relictis tuto poſſent uti! Praeterea, ut coloniae obnoxiae manerent, neque exortis aliquando turbis ſeſe a dominatione Romanorum liberarent, et fortasſe deinceps ipſae Romanorum hostes fierent; maxima cura regiones coloniis idoneas elegerunt, neque facile eo deduxerunt, ubi loci

con-

conditio ac ratio eas plane recuſarent. Qua in re Cicero maiorum diligentiam vehementer laudat; quippe qui colonias ſemper idoneis in locis collocarant (392). Antiquitus autem caute curarunt, ne coloniae imperii fines excederent, et diligenter primis temporibus vitarunt, colonias extra Italiam ponere. Quamobrem Velleius Paterculus legem a Graccho perlatam, de coloniis contra maiorum mores extra Italiam ponendis, inter perniciocisſimas numerat. „Tanto ſcilicet, ita pergit, potentiorum Tyro Carthaginem, Masſiliam Phocaea, Syracuſas Corintho, Cyzicum ac Byzantium Mileto, genitali ſolo, maiores vidisſe" (393). Hac tamen in re non ſemper ſibi conſtiterunt Romani, cum deinceps multae extra Italiam deducerentur. Prima autem, eodem Paterculo teste, fuit Carthago; deinceps in Galliam deductae Aquae Sextiae et Narbo. Octoginta millia civium extra Italiam deduxit C. I. Caeſar (394), quod etiam ſecuti ſunt Augustus et qui postea fuerunt Imperatores (395).

Ita, coloniis ad obſequium omnino conſtitutis,

---

(392) Cicero *de Leg. Agr.* II. 27.
(393) Vell. paterc. II. 15.
(394) Suetonius *in vita* c. 42.
(395) Hyginus *de limit. conſtit.* p. 160.

tis, multa quaevis a ſingulis ſaepe exigebant Romani; et decora, ſcilicet! appellatione officii liberorum erga parentes praeſtandi, haec omnia ſibi colonias debere prae ſe ferebant. Per continua, quae gerebantur, bella ſtipendia et milites imperabantur a Senatu, et in coloniis maritimis copiae navales. Bello Punico ſecundo, cum Hannibal in Italia morabatur, conſules coloniarum legatos citaverunt, quaeſiveruntque ab iis, *ecquid milites ex formula paratos haberent?* Pro duodeviginti coloniis (396). M. Sextilius Fregellanus reſpondit: *et milites ex formula paratos esſe: et ſi pluribus opus esſet, plures daturos: et, quicquid aliud imperaret velletque Populus Romanus, enixe facturos; ad id neque ſibi opes deesſe, animum etiam ſuperesſe.* Iubet conſules Senatus praeclara quaevis iis praeſtare, et inter alia multa recens illarum in rempublicam meritum memorare. Harum autem coloniarum ſubſidio tunc imperium populi Romani ſtetit, iisque gratiae et in Senatu et ad populum actae. Velim interim notetur, ex precariis illis Fregellani verbis, (niſi forte credas ex animo ea fuisſe prolata), quam ſubiectae fuerint coloniae, ad o-

(396) Has enumerat LIVIUS XXVII. 10. ubi tota haec res traditur.

omnia, quae ipſis imperarent Romani, paratae.

Aliae contra coloniae, conditionis ſuae pertaelae, Romanis tributa pendere recuſarunt, immo ſaepe ab iis defecerunt; unde complura bella, multo ſanguine gesta, et coloniae magno ſupplicio affectae. Ita Fidenatibus et Veientibus, qui rebellaverant, devictis, eorum urbs diruta est (397). Veliterni ſaepius, infelici tamen ſemper ſucceſſu, ad libertatem recuperandam a Romanis defecerunt (398). Denique tamen, quod toties rebellaſſent, graviter in eos est ſaevitum: urbis muri deiecti, et Senatus inde abductus: iuſſique trans Tiberim habitare, ita ut eius, qui cis Tiberim deprehenſus eſſet, usque ad mille pondo clarigatio eſſet; nec prius, quam aere perſoluto, is, qui cepiſſet, extra vincula captum haberet (399).

O miſerandam ſane coloniarum ſortem! Fremitus audi Latinarum coloniarum ſociorumque in conciliis ortos: » Decimum annum delecti» bus, ſtipendiis exhaustos eſſe; quotannis fer» me clade magna pugnare. Alios in acie oc» cidi, alios morbo abſumi: magis perire ſibi » ci-

(397) Livius IV. 17, 22.
(398) Livius VI. 21, 36, 42; VII. 15, VIII. 3.
(399) Livius VIII. 14.

» civem, qui ab Romano miles lectus ſit, quam » qui a Poeno captus; quippe ab hoste gratis » remitti in patriam; ab Romanis extra Itali- » am in exilium verius, quam in militiam, ab- » legari.... Si veteres milites non redeant in » patriam, novi legantur, brevi neminem ſu- » perfuturum." Duodecim inde coloniae negaverunt conſulibus, esſe, unde milites pecuniamque darent. Hinc illud ſenatusconſultum, quod ſupra exhibui (400). Conſules autem ſenatum hortabantur: alias colonias in fide atque obſequio pristino fore; eas quoque ipſas, quae officio decesſisſent, ſi legati circa eas colonias mittantur, qui castigent, non qui precentur, verecundiam imperii habituras esſe (401).

Si autem ad conſilia et modum attendamus, quibus coloniae Romanae deductae ſint et ordinatae, atque ad earum cum metropoli necesſitudinem, vix opus est ut moneam, quam fuerit Romanorum in coloniis deducendis ratio aliena a conſiliis, quae Graeci et vero Phoenices ſecuti erant. Etenim harum gentium colonias metropolibus non adeo fuisſe obnoxias atque ſubiectas, ſed ſuis magis ipſas radicibus innixas, maiorique libertate uſas esſe, iis, quae an-

(400) Livius XXVII. 9.
(401) *Idem.* XXVII. 10.

antea disputavimus, ſatis indicasſe mihi videor. Romani vero, alia plane ſecuti, colonias ipſi gubernabant easque in ſua ſemper potestate retinere ſtudebant.

§ 4.

De utilitatibus, quas coloniae Romanis attulerunt.

Cum autem Romanis a primordiis iam civitatis conſtans esſet mos, ut in urbes a ſe devictas civium partem deducerent, non potest quin varia commoda illud civitati attulerit. Hac enim parte in coloniam deducta, civitas ab iis liberabatur, qui, cum in ipſa urbe non ſatis haberent unde vitam quaererent, civitati magno forent periculo.

Neque hoc Tarquinium Superbum fugit, quippe qui, quia *urbi multitudinem, ubi uſus non esſet, oneri rebatur esſe*, Signiam Circeiosque colonos miſit (402). Praeterea, numero ante nimis magno, coloniis deductis admodum minuto, minore annonae penuria civitas premebatur, cuius necesſitas identidem crescebat, crescente incolarum numero. Hoc etiam modo agri

(402) Livius I. 56.

agri devicti, quorum incolae Romam fere abducebantur, non relinquebantur inculti, fed a novis colonis fumma cura colebantur. Hi autem copiam ibi inveniebant vitae feliciter agendae, et tum fibi tum civitati egregie inferviebant; *fibi*, quum in novis fedibus invenirent, quod in urbe frustra quaefierant; *civitati*, cum, qui remanfisfent, minori annonae penuria laborarent (403), tum etiam quod coloni civitati annonam praeberent. Coloniae enim ea fere conditione deducebantur, ut certam ftatuto tempore fructuum partem penderent (404).

Coloniarum in devictorum hostium agros mittendarum more introducto, Romani intra angustos urbis muros non amplius fefe continuerunt, fed Romanorum nomen identidem latius propagarunt, primum per vicos circumiacentes et oppida vicina, deinde per Italiam, denique per totum terrarum orbem. Illud igitur inftitutum, a Romulo introductum, mirum in modum imperio propagando profuit, atque amplitudinis Romani imperii, quae posterioribus fuit temporibus, initium et est et habetur (405). Si autem cogitemus, quam fint

(403) DION. HAL. VII. 28.
(404) Exemplum vide apud DION. HAL. IX. 60.
(405) DION. HAL. II. 16.

ſint parati devicti populi ad iugum excutiendum, ad libertatem, omni auro pretioſiorem, ſibi recuperandam; quî tandem illos ſubiectos retinere potuisſent Romani, niſi in illorum oppidis reliquisſent aut in ea miſisſent, qui eorum animos coercerent, ſi quando res novas molirentur? Quod cum ipſa ratio docet, tum de colonia Camalodunum deducta tradit Tacitus; cum eam dicat, *validam veteranorum manu, ſubſidium adverſus rebelles et imbuendis ſociis ad officia legum* (406). Neque vero tales ſolum locos, quos coloni tenebant, ſed omnes circumiacentes regiones obſervabant. Ceterum coloniis in agros deductis, devictorum horum animos coloni Romanis magis magisque conciliabant, in primis ſi populi illi rudiores esſent, neque ad maiorem cultum evecti; nam licet ſua ſacra antiqua, mores, cet. retinebant, Romanorum tamen ſacra, caerimoniae, ritus, leges, verbo tota Romanorum vitae ratio, tum publica, tum privata, introducebantur, quae omnia facile amplecterentur devicti.

Non minora aliae coloniae ad imperium firmandum afferebant, quod tam idoneis in locis esſent ſitae. Quae enim in finibus imperii collocatae erant, impediebant, quominus hostes imperi-

(406) Tacitus Ann. XII. 32.

rium adorirentur atque infestarent. Hinc *propugnacula magis imperii Romani quam oppida Italiae* eas videri dicebat Cicero. Romani autem femper ftuduerunt, ut vastum et firmisfimum haberent imperium: quod ut haberent, fummopere femper ftudendum erat, ut imperii fines ab hostium incurfionibus esfent tuti; ut hoc efficeretur, quid melius et efficacius, quam colonias in hisce finibus condere, umquam excogitari potuit? Exemplo fit Narbo Marcius, fpecula illa (ut eam appellat Cicero) populi Romani, et propugnaculum Gallis oppofitum atque obiectum. Haec Romanis eo praefertim profuit, quod eos ab incurfionibus Gallorum, infestisfimorum istorum Romani imperii hostium, liberaret. Numquam profecto Romanum imperium tot fuisfet amplexum regiones, neque Romani tot populos legibus fuis parentes habuisfent, nifi a principio imperii fines contra hostium incurfiones muniisfent. Adeo quidem, ut etiam hac in parte coloniae Romanorum non pauca contulerint ad rem Romanam augendam eamque ad maximam amplitudinem extollendam. Sagatis autem coloniis deducendis urbs levabatur magno militum feditioforum numero, qui, tranquillitati publicae hostes inimicisfimi, factionum principibus de principatu inter fe certantibus, et totam civitatem moventibus, quibus fe adiungebant, magnum vi-

ri-

rium momentum addebant; quibus in alias regiones abductis, ſentina civium pernicioſorum ex urbe exhauriebatur.

Cogitemus denique, colonias ſtipendiis et militibus in bellis auxilio venisſe Romanis. Cogitemus, quanta ex hisce commoda perceperit respublica, tempore ſolummodo, quo Hannibal arma contra Romanos movebat. Nonnullae quidem a Romanis defecerunt, attamen per decem annos delectus et ſtipendia Romanis ſuppeditaverant, iisque tandem ſe exhaustas dicebant. Ceterae quae in fide manſerunt, egregie Romanis omnibus quibusvis rebus opem tulerunt. Quanta autem ex iis Romani tunc commoda ceperint, ex uno illo discas, quod Livius memoriae prodidit: *harum coloniarum ſubſidio tum imperium Populi Romani ſtetisſe* (407).

---

(407) Livius XXVII. 10.

T A N T U M.

THESES.

I.

Licet CICERO *ait, apud* HERODOTUM *innumerabiles esſe fabulas, non tamen eo historiae, quam conſcripſit, praeſtantiae, neque ipſius auctoris dotibus quidquam detrahitur.*

II.

Quod in foederibus pacis Graecorum non ſemel conſtituebatur, ut oppida invicem red-

derentur, de captis tantum intelligendum est, non vero de iis, quae ſponte ſe dedidisſent.

III.

Officiis boni historiarum ſcriptoris THUCYDIDES *in bello Peloponneſiaco conſcribendo egregie ſatisfecit, neque a* DIONYSIO *erat reprehendendus.*

IV.

Translata Graeciae ἡγεμονία *a Spartanis ad Athenienſes univerſae Graeciae magis profuit quam nocuit.*

V.

Iniuria Corinthii Spartanos reprehenderunt (apud THUC. *I. 69.), quod hi, post bellum Medicum, Athenienſes urbem munire et longos muros aedificare pasſi esſent.*

T H E S E S.

VI.

Inſtitutis apud Romanos, SERVIO TULLIO *auctore, centuriatis comitiis, plebis poteſtatem auctam, patriciorum minutam eſſe perperam nonnulli ſtatuunt.*

VII.

De tribunitia poteſtate vere dixit CICERO (de Legib III. 10): » *Ego enim fateor, in iſta* » *ipſa poteſtate ineſſe quiddam mali: ſed* » *bonum, quod eſt quaeſitum in ea, ſine* » *iſto malo non haberemus.*"

VIII.

Ipſum illud Cunctari, *a quo* Q. FABIUS MAXIMUS *ſuum cognomen accepit, magnas eius dotes egregie manifeſtat.*

IX.

T H E S E S.

IX.

Expeditiones cruce ſignatorum Europae multa commoda attulerunt.

X.

Civitatum rationi, quae nunc est, potisſimum tribuatur, quod eloquentia hisce temporibus non ita, ut a veteribus, Athenienſibus in primis et Romanis, excolitur.

XI.

Stoici quidem bonum, honestum, virtutem, ſapientiam, *cet, ſeverius pro humana imbecillitate definiverunt, et ad illud, ut quis bonus esſet, talia requiſiverunt, quae homines asſequi vix poſunt: egregia tamen eorum circa has res fuerunt placita, et digna, quae quisque ſibi tanquam regulas praeſcribat.*

XII.

T H E S E S.

XII.

Praeclarum Solonis dictum, quod ſervavit VALERIUS MAXIMUS VII. 2, § 2: Si in unum locum cuncti mala ſua contulisſent, futurum, ut propria deportare domum, quam ex communi miſeriarum acervo portionem ſuam ferre mallent; *expresſisſe videtur* HERODOTUS VII. 152. *ubi ſcribit:* εἰ πάντες ἄνθρωποι τὰ οἰκήϊα κακὰ ἐς μέσον συνενείκαιεν, ἀλλάξασθαι βουλόμενοι τοῖσι πλησίοισι, ἐγκύψαντες ἂν ἐς τὰ τῶν πέλας κακὰ, ἀσπασίως ἕκαστοι αὐτέων ἀποφεροίατο ὀπίσω τὰ ἐσενείκαντο. *Ubi male* τὰ κακὰ *per* mauvaises actions *explicuit* LARCHERUS, *cum* mala ſive calamitates *ſint intelligenda.*

XIII.

Quod tradit HERODOTUS VII. 205, *Leonidam ad Thermopylas profectum esſe,* ἐπιλεξάμενον ἄνδρας τοὺς κατεστεῶτας τριηκοσίους, *vertendum est:* trecentos certos, conſtitutos, *ſive* trecentorum ſtabile et perpetuum *agmen.*

In-

T H E S E S.

Intelligo autem trecentos equites, quos congregare ſolebant οἱ ἱππαγρέται, *ad id electi ab Ephoris.*

XIV.

Apud HERODOTUM II. 54. *legendum*: δύο γυναῖκας ἱρὰς, *ubi vulgo legitur*: δύο γυναῖκας ἱρηΐας.

